6391
7
py 1

PA 6391
.K7
Copy 1

DE A. GELLII FONTIBUS.

PART. I.

DE

AUCTORIBUS A. GELLII GRAMMATICIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI

PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

GRYPHISWALDENSI

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA

HONORES

RITE OBTINENDOS

DIE XV MENSIS DECEMBRIS ANNI MDCCCLX

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

IULIUS KRETZSCHMER

POMERANUS.

ADVERSARII ERUNT:

E. BEMMANN, cand. philol.
L. STREIT, cand. philol.
A. MUELLER, cand. philol.

POSNANIAE

TYPIS LUDOVICI MERZBACHII.

MDCCCLX.

PA6391
.K7

PATRI OPTIMO

SACRUM.

Praefatio.

Auspicatus hanc de Gellii fontibus quaestionem Gryphiswaldiae priusquam ad finem perduxi, Posnaniam transmigravi. Qui quum iam illic scriptionis fines coercendos esse intellexissem, multo magis hic, ubi minus privatis studiis vacarem nec librorum satis magna copia suppeteret, ea necessitate premebar. Quam autem partem a cuncta quaestione sevocarem, diu pendebam animi. Neque enim facili negotio neque sine aliqua iactura eas dirimi posse videbam disciplinas, quarum per sese variae essent necessitudines easque Gellius sane quam saepe confudisset. Atque etiam, quum in unaquaque disciplina levia quidem, neque tamen nulla invenisse mihi viderer, alio alias trahebatur animus. Tandem auctore eo viro, quo mihi et omnino et in singulis uti licebat duce, M. Hertzio, induxi animum, ut de grammaticis fontibus seorsum quaererem, de reliquis autem disciplinis, historiam dico, philosophiam, iuris et antiquitatum [1]) doctrinam, prima, quae obvia futura esset, occasione deinceps scriberem.

---

[1]) Cf. p. 37.

Propositi vero dimidia parte confecta, quum et ea, quibus proludere visum erat, et fontium disquisitionem ad Sulpicium Rufum usque stilo mandassem, animo autem concepta haberem reliqua, prodiit L. Mercklini libellus ex fasc. suppl. III annal. philol. class. 1860 separatim editus: Die Citiermethode und Quellenbenutzung des Aulus Gellius in den Noctes Atticae. Qui si prius emissus esset in lucem, nonnullis, quae ille docte et acute disseruit, frui potuissem, in aliis contra eum suo loco disputavissem. Nunc satis habui, quae iam composueram, integra relinquere et Mercklini aut contrariam sententiam aut ubi videbatur utile, assensum in notis indicare; ad ipsam vero disputationem eius sententias inde a Nigidio admisi.

Virorum autem doctorum veniam, qua antea multa et varia me egere videbam, nunc quum pleraque, quae ad litteras communes aliquid conferre posse videbantur, Mercklinus praeripuit, omnibus precibus oro atque obtestor.

INDEX.

I. Prolusiones.

Pag.

§ 1. Coniecturas de singulis auctoribus moderandas esse ex usu atque familiaritate eorum 3
§ 2. Saepius licebit capita continua eidem auctori vindicare 4
§ 3. Singula capita quoad licebit ad unum auctorem revocanda sunt 6
a. Ubi plures auctores laudantur 6
b. Ubi ad singula auctor laudatur 9
c. De exemplis grammaticis 10
§ 4. De Graecorum usu et lectione 11
§ 5. De A. Gellii fide 13
§ 6. De citandi ratione 15
a. In laudandis librorum titulis 15
b. In transscribendis scriptorum locis 18
§ 7. De sermonibus apud A. Gellium 21
§ 8. De vestigiis Gellii apud posteriores grammaticos 27
a. De Macrobio 27
b. De Servio 28
c. De Nonio Marcello 29

II. De A. Gellii auctoribus grammaticis disquisitio.

1. Timaeus 38
2. Euclides 39
3. Aristarchus. 4. Crates 39
5. M. Porcius Cato 39
6. L. Accius 40
7. Q. Mucius Scaevola 40
8. L. Aelius Stilo 41
9. Aurelius Opilius 41
10. Volcatius Sedigitus 42
11. Servius Claudius 42
12 Manilius 44
13. Hypsicrates 44

Pag.
14. M. Terentius Varro 44
15. P. Nigidius Figulus 54
16. M. Tullius Cicero 59
17. Ser. Sulpicius Rufus 59
18. C. Iulius Caesar 60
19. C. Aelius Gallus 61
20. Sinnius Capito 61
21. M. Tullius Tiro 62
22. C. Trebatius Testa 64
23. C. Asinius Pollio 64
24. P. Alfenus Varus 65
25. Antistius Labeo 66
26. C. Ateius Capito 66
27. C. Valgius Rufus 68
28. M. Verrius Flaccus 68
29. C. Iulius Hyginus 77
30. C. Asinius Gallus 79
31. Masurius Sabinus 79
32. L. Annaeus Seneca 80
33. Annaeus Cornutus 81
34. M. Valerius Probus 82
35. Velius Longus 93
36. Aelius Melissus 93
37. Terentius Scaurus 94

Incertae aetatis scriptores.

38. Caesellius Vindex 95
39. Cloatius Verus 98
40. Gavius Bassus 99
41. Largius Licinus 100
42. P. Lavinius 100

Auctores A. Gellii aequales.

43. Annianus 101
44. Antonius Iulianus 101
45. T. Castricius 103
46. M. Cornelius Fronto 103
47. Favorinus 104
48. Fidius Optatus 106
49. Sulpicius Apollinaris 106

Qui mecum sentit, quaestionem de fontibus Gellii ab ipsius testimoniis in liberiorem campum esse producendam; prave autem videtur sentire, qui dissentiat: ei probatum iri confido, si in limine, qua ratione in adhibendis auctoribus usus sit, summatim disseram. Quam enim viam, salutari cum admonitione nostra, Dirksenius ingressus est, in his quae ad ius pertinent capitibus [1]), eandem nos persequemur: paucis lineis adumbrandam esse puto originem conditionemque noctium Atticarum, inde ut praecepta redundent ad indagandos singulorum capitum fontes utilissima.

Cuius rei imaginem depingere possemus collectis ex toto opere undique indiciis. Sed hac molestia ut facile vacaremus, ipse fecit Gellius, satis aperte de consilio et origine noctium suarum in praefatione disputans. Ingenue enim profitetur, se ea, quae lectorum manibus traderet, percepisse ex recenti quadam vel lectione vel auditione, quum et scriptores in legendo excerpsisset, et schedis consignasset, quae memoria digna audivisset. Gravissimum eius testimonium transscribam, praef. §. 2: „Nam proinde ut librum quemque in manus ceperam seu Graecum seu Latinum vel quid memoratu dignum audieram, ita „quae libitum erat, cuius generis cumque erant, indistincte „atque promisce annotabam, eaque mihi ad subsidium memoriae „quasi quoddam litterarum penus recondebam.“ Dein consilium cepit haec edendi §. 3: „Facta igitur est in his quoque commentariis eadem rerum disparilitas, quae fuit in illis annotationibus pristinis, quas breviter et indigeste et incondite eru-

[1]) Excerpta e libris JCtorum Rom. in A. Gellii noctib. Att. cf. Acta acad. litter. Berol. cl. h. ph. a 1851.

„ditionibus lectionibusque variis feceramus.“ Ac de illis, quae audita a viris doctis adnotatione eademque postea enarratione dignatus est, separatim disputabo §. 7; nunc de scriptis fontibus dicere attinet.

Principio igitur tenendum erit, Gellium pleraque congessisse antequam consilium iniret lucubrationum edendarum. Neque id egit omnino ut certum quiddam sibi proponeret, de quo altius quaereret, neque ulli litterarum disciplinae addictus fuit uni; sed suorum ipsius studiorum hanc nobis viam reliquit: ea praebebat, quae sibimet ipsi ad erudiendum excolendumque ingenium elegerat. Ita si non multum dissidet ab iis scriptoribus, quos in praefatione incusavit §. 11, qui undique quae legentium animos delectarent, corradere solerent, non certe ab eodem profectus est initio. Noster enim quum suum commodum spectaret, non solum, quae legendi aliquam haberent illecebram, sed maxime etiam quae liberalis atque sincerae eruditionis plena viderentur, attrectavit. Quae postquam cognovit etiam aliis accepta futura esse, edidit. Neque igitur mirum cuiquam videbitur, Gellium quosdam auctores, ut Varronem, Nigidium Figulum alios insigni amore et studio amplexum esse, alios adeo aspernatum, ut silentio premeret. Quid? quod Cornelii Taciti, Quintiliani, ut alios omittam [1]), in Gellio ne una quidem legitur littera, Plinii contra non longe illis superioris plus semel mentio fit. Qui autem scriptores Gellio arridebant, eos sic in usum suum convertit, ut in legendo excerperet. Tantum enim aberat, ut accepta ab aliis diutius mente versata recoleret, nonnunquam ut intacta prorsus redderet, saepissime sententiae integrae formam tantum speciemque externam novaret. Sic quae stilo digna visa erant, quo ordine excerpserat eodem postea quum in volumen quoddam redigeret, reliquit. Et hic est ordo ille fortuitus, quem in praef. § 2 excusat: „Usi autem sumus ordine rerum fortuito, quem antea in excerpendo feceramus [2]).“

---

[1]) Plures enumeravit Vogel de A. Gellii vita etc. Progr. Zittav 1860. p. 21.

[2]) Nolo prorsus eundem mansisse ordinem contendere, sed ut servati multa ita etiam quaedam immutati vestigia inveniuntur. Cf. Mercklinum . l. 705 sqq. coll. p. 664 sq. Qui parum fidei habuit Gellii testimonio, quum

Jam vero quae ex operis ratione et origine consequi videntur praecepta, proponam: quae ab iis, quae modo exposui, segregare malui inserviens perspicuitati. Praevideo enim fore saepius, ut ad singula lectores relegem. Quod summam habiturum esset diffcultatem, si illis immixta essent, nunc ubi separavero et numeris distinxero, sine magna lectoris molestia fiet.

§ 1.

Coniecturas de singulis Gellii auctoribus moderandas esse ex usu ac familiaritate eorum.

Non opus erit argumentis in re probabili. Si enim prudentis putabitur, auctorum orbem, quantum fieri poterit, coercere, contra male creduli, scriptorem quemlibet a Gellio laudatum in auctorum numerum recipere, ubi fontem coniectura assequi conabimur, libentissime ad hos recurremus, quos familiares Gellio fuisse aliis indiciis constat: ab iis abstinebimus, quos obscure tantum aut nnnquam laudavit. Considerate enim agendum esse censeo, si qui auctor a Gellio indicatur ita, ut eius mentionem alteri debere videatur, invehere autem auctorem, cuius Gellius nusquam meminit, non licebit nisi ubi ipsa res declarat. Neque de singulis tantum scriptoribus, sed de toto aliquo genere fieri poterit, ut praeiudicetur. Quo pertinent, quae infra §. 4 de Graecorum lectione separatim disserui. Nec silentio praeterire debeo, quod me coram admonuit vir subtilissimi iudicii Hertzius: videri Gellium in grammaticis rebus certas quasdam partes secutum esse. Quod mihi facile probavit. Neque enim fugit me, iniquiorem interdum Gellium exstitisse arbitrum, quum reiecta opinione grammatici cuiusdam suam substitueret ista aut magis aut non minus ineptam. Quod bene

---

qui libri alicuius loci dispersi leguntur apud Gellium, quasi disiecta membra colligeret, in Gellii schedis nna fuisse suspicans. Quidni Gellius eundem librum saepius in manus ceperit? Quo autem praecipue nititur loco II 30, 11 „Cuius rei causam, quum Aristotelis libros problematorum praecerperemus, notavi“, nihil contra „fortuitum ordinem“ facit. Ex his ipsis enim problematis habemus quattuor locos continuos fere l. XIX cc. 2, 4, 5, 6.

explicaretur, si eum sectae studio praeoccupatum fuisse diceremus. Sed huius rei iudicium doctioribus relinquendum putavi.[1])

§ 2.

Saepius licebit capita continua eidem auctori vindicare.

Quod exspectari poterat ultro, ut is, qui libros excerperet, complures locos deinceps traduceret, id nunc paucis exemplis demonstremus. Atque aperte quidem Gellius in duobus coniunctis capitibus eundem fontem prodidit ex. gr. V 17 et 18; utrumque enim caput, ut priore § 1, altero § 2 testatur, ex quarto librorum de significatu verborum Verrii Flacci sumpsit. Plura etiam continua reperiemus XIX c 2, c 4, 5, 6 cf. p. 2 adn. 2. Quae omnia ex Aristotelis problematis profecta esse partim Gellius prodit, partim nos affirmare possumus. Tales igitur loci viam monstrant, qua aliis minus illis quidem apertis coniectura succurri oporteat. Exemplo sit l. III c. 5. Arcesilai philosophi acute dictum ex Plutarcho ponitur. Quod quum ab illo bis omnino narratum sit, quaest. conv. VII 5, 3. *Ὅθεν Ἀρκεσίλαος οὐδέν, ἔφη, διαφέρει, τοῖς ὄπισθεν εἶναι κίναιδον ἢ τοῖς ἔμπροσθεν*, et paulo aliter d. san. tuenda c. 7, Gellii locus, quia ex utroque Plutarchi derivari pariter commode potest, ad utrum referendus sit, dubium est. Cuius rei discrimen ex sequenti capite proficisci videtur. Nescio enim an non recte dubitemus, caput quintum ex symposiacis Plutarchi repetere, quum, quod sequitur, caput ex eisdem sumtum sit. Rursus in censum hic veniunt l. XIX c. 2 et 4—6. Quum enim omnia ad Aristotelem referat Gellius, ejus librum, problemata, tantummodo c. 4 et 6 laudavit; nos autem scimus, etiam quae c. 2 et c. 5 ex Aristotele afferantur, ex problematorum libris profecta esse.

---

[1]) De Aristarcheorum et Crateteorum lite non adeo laboravisse videtur: velut X 4 Nigidii, qui ad analogiam inclinabat, sententiam nec refutavit nec probavit. Minus quidem ambigue indignabatur „turbam grammati„corum noviciam“, qui ex. gr XI 1, 5 a Varrone discentientes „multae“ vocabulum *κατ' ἀντίφρασιν* dici docebant. Cf. XVI 7, 13 „ut isti novicii „semidocti“, XVII 2, 15 „nisi qui grammaticorum nova instituta ut *τεμένων* „*ἱερὰ* observant.“

In his si ad auctorem laudatum e proximo capite librum supplevimus, nunc viceversa auctoris nomen libro adiciemus coniectura, comparato capite coniuncto. L. XIII c. 14 Gellius ita: „Pomerium quid esset, augures populi Romani, qui libros „de auspiciis scripserunt, istiusmodi sententia definierunt“ e. q. s. Subsequenti autem capite § 3 laudatur liber M. Messallae auguris de auspiciis primus et maior ex eo locus transscribitur. En habes augurem populi Romani, qui de auspiciis scripsit: luculentius M. Messallam hercle non potuit innuere. Quodsi tamen haereas, accedit alterum argumentum haud minus grave: eodem in capite, de quo agitur, quarto decimo § 5 et 6 respexit Gellius ad librum quendam Messallae, quem non nominavit quidem, sed ex fragmento apparet de auspiciis egisse. L. VI 18, 11 laudatur Cornelii Nepotis exemplorum liber quintus, c. 19 factum quoddam praeclarum Ti. Sempronii Gracchi in exemplis repositum esse dicitur. Nimirum Gellius eundem illum Cornelii librum significare voluit, ex quo praecedentia mutuatus est. Quod si non adeo persuasum haberem, Hertzii ope ad credendum adducerer, qui vocem „exemplis“, ut indicaret libri titulum, distentis litteris exhibendam curavit (cf. ind. s. v. Corn. Nepos).

Restat tertium genus exemplorum coniectura egentium, quum nec scriptoris nomen nec libri titulum in altero capite apponere libuit, coniecturae vero ansam praebet materiae similitudo. L. XVIII c. 14 Gellius de vocabulis quibusdam numerorum loquitur, auctorem adumbravit potius quam nominavit § 2 „qui de numeris Latine scripserunt“. Quae ut ad Varronem referamus, sequenti capite invitamur, quum hic § 2 laudentur eius libri disciplinarum. Neque enim ab his abhorrent priora, quia etiam arithmeticis quaestionibus patuerunt, et auctor Varro ex eorum numero est, quos assidua lectione noster tractavit. Quae faciunt argumenta, ut facile assentiar viro doctissimo Ritschelio, quaest. Varr. p. 30 (in indice schol. Bonn. 1845), qui utrumque caput ex eodem fonte, libris videlicet disciplinarum, fluxisse iudicavit.

§ 3.

Singula capita, quoad licebit, ad unum auctorem revocanda sunt.

Quam legem non temere factam esse apparet; nam si supra salutare videbatur, capita quam plurima eidem auctori assignare, iam eodem praecepto intra fines uniuscuiusque capitis utemur. Quod praeterea nunc commendatur ab excerpendi ratione, quum excerpentis opera plerumque in uno solo, non simul in pluribus versari soleat.

Haec igitur tenenda lex erit:

a. Ubi plures auctores indicare videtur Gellius.

Ac primum quidem usitatum hoc erat Romanis et cum aliarum gentium scriptoribus commune, ut unum auctorem respicientes, si nomine addendo supersederent, plurali numero uterentur. Sicut Graeci ἔνιοι, τινές, ἄλλοι, ita Romani „nonnulli", „quidam", „alii" dicere solebant, rem magis quam auctorem spectantes. Nec Gellius ab hac consuetudine alienus fuit. Nemo ex. gr. complures auctores intelliget I 11, 13. „Sed „qui hoc compertius memoriae prodiderunt, stetisse dicunt oc„cultius" rell., unum autem Plutarchum significari cognoscet comparato eius loco d. coh. ira c. 6: nemo non de uno cogitabit II 4, 6 „Sed alii quidam divinationem esse appellatam „putant" e. q. s.

A talibus autem facilis transitus est ad morem quendam Gellii magis peculiarem. III 3, 14 haec leguntur: „Sed enim „Saturionem et Addictum . . . . . in pistrino eum scripsisse Varro „et plerique alii [1]) memoriae tradiderunt." Haec prima specie ab eo dici videntur, qui non Varr nem solum sed etiam alios adierit consulendo. Sed credat Judaeus Apella. Totum enim caput ex Varrone sumtum esse, infra quum ad hunc ventum erit, demonstrabo. Interim conferas Ritschl. Parerg. I p. 73

---

[1]) „Plerique alii" idem fere est, quod „permulti alii". Cf. Gell. XII 13, 6 „Tum deinde disseruit, me et plerisque aliis audientibus", neminem autem alium antea demonstravit.

sqq. Ab hoc autem, quem insigni modestia reverebatur, ad alios Gellium desiluisse, ab omni abhorret fide. Simili ratione haec dicta sunt I 13, 10 „Is Crassus a Sempronio Asellione et „plerisque aliis historiae Romanae scriptoribus traditur"; nec longius discedit IX 7, 5 „quam rem et alii viri docti et Sueto- „nius etiam Tranquillus in libro ludicrae historiae primo affir- „mat." Ubi auctores habendi sunt priore loco solus Sempronius, altero is, cuius et nomen et librum prodidit, Suetonius Tranquillus. Paulo autem explicatius complures indicavit X 26; quo tamen loco ne quis dubitaret, providit ipse. Verba Gellii haec sunt: „Asinio Pollioni in quadam epistula quam ad „Plancum scripsit, et quibusdam aliis C. Sallustii iniquis, di- „gnum nota visum est" e. q. s. Deinde § 2 „Verba ipsa Sallustii posuit", numero singulari, § 4 rursus numero multitudinis „aiunt", sed paulo post „inquit" § 5 „putavit" nec longe infra „negant". Varietas sane mira, sed quae facillime nostra ratione explicetur. Animadvertas enim, ubicunque de facto aliquo certo agatur, singularem ad solum Asinium pertinentem legi, contra pluralem inveniri, ubi argumenta ponantur generalia. Locum Sallustii unus posuit Asinius, certa verba edidit nemo praeter hunc eundem. Sed dignum nota visum est omnibus, aiunt universi, cuncti negant. Quare, si me andis, auctorem Gellius secutus est Asinium Pollionem [1]), reliquorum mentionem, ut in omnibus his locis, aut ex auctore suo transsumpsit, aut ipse copiae cuiusdam causa de suo addidit. Quorum alterum defendi, alterum excusari saltem potest.

Sed non obscure tantum, etiam diserte complures auctores nomine addito laudat. Causam iterum exemplis agemus.

IV 5, 6: „Ea historia de aruspicibus ac de versu isto „senario scripta est in annalibus maximis, libro undecimo et „in Verri Flacci libro primo rerum memoria dignarum." Non primus ego hic annalium maximorum mentionem ex Verrio Flacco derivare studebo: praeivit iam Hulleman, qui disp. crit. de annalibus maximis p. 79 [2]) Gellium annales ipsos inspexisse ne-

---

[1]) Contra Mercklinum aliter de hoc loco existimantem l. l. p. 663 infra disputabo ad Asinium Pollionem.

[2]) Cuius rei notitiam debeo Huebnero, qui censor illius exstitit in ann. philol. et paed. 1859. p. 417.

gat. Cui facile credo, eam praeter alias causas secutus, quod singularis haec annalium maximorum exstat apud Gellium mentio [1]).

Seiungam exempla, ubi dispersos per unum caput complures auctores invenimus.

II 25 Gellius loquitur de analogia et anomalia, ex Varrone de ling. lat. locum transscribit. Sed occurrunt praeter eum Aristarchus et Crates, utriusque sectae principes. Qui quum a Gellio summo studio causas suas egisse perhibeantur, id nostrum ex ipsorum lectione cognovisse putares. Atqui aliter res se habet. Idem enim Varro, cuius locum affert ex fine libri de lingua latina octavi, in exordio noni libri copiose de dissensione illa disseruit.

XVII 7, 3 haec habentur: „Sed Q. Scaevola patrem „suum et Brutum et Manilium . . . . . quaesisse ait" rell. § 4 „Itaque P. Nigidius . . ., super dubitatione hac eorum „scripsit in tertio vicesimo commentariorum grammaticorum." Dirksenius, vir doctissimus, l. l. p. 50 sqq. cf. not. 103 optime ad unum Nigidium haec revocavit. Nam Q. Mucium Scaevolam quamvis frequenter Gellius laudaverit, nunquam ipsum adiisse videtur. Quod autem Nigidius in commentariis grammaticis JCtorum controversiam attigit, id noli mirari nec in dubitationem vocari potest propter Gellii verba: „super du„bitatione hac eorum scripsit." De hac igitur Nigidius videtur secundum Scaevolam, Gellius secundum solum Nigidium disputasse. Quae coniectura si cui parum tamen firma videatur: nolo urgere, quod Dirksenius l. l. extr. contendit, obscuritatis Gellio, si collatus fuisset Scaevola, hunc potius quam Nigidium accusandum fuisse: maioris momenti videri debet, quod Gellius Scaevolae sententium contra solitum morem sine libro commemoravit.

Eadem ratione I 20 ad unum auctorem revocare licebit. Gellius praeter Varronem Pythagorae quandam sententiam § 6 et Euclidis definitionem § 9 proposuit. Atque totius capitis summam Gellium Varroni debere, perspexit Ritschl quaest. Varr. p. 38 § 17. Idem Euclidis definitionem inde transsum-

---

[1]) Cf. Merckl. l. l. p. 651.

ptam esse haud absimile vero iudicavit. De Pythagorae mentione sententiam non dixit: equidem hanc quoque a Varrone repeto. Quod quia non omni caret dubitatione, ne loco parum idoneo longus sim, quaestionem de eo differam.

Satius erit, si nunc quum normam quandam constituerim exemplis, unum iis opponam illi legi contrarium. Quod admonere nos potest, qui ea non caute utatur, abuti.

XVI 12. Trium obvia sunt auctorum nomina Cloatii Veri § 1, Hypsicratis § 6, Varronis § 7. Quorum Hypsicrates licet statim abeat ille e numero Gellii auctorum, quoniam eum testem excitaverat Cloatius: hunc ipsum tamen et Varronem quominus eodem modo confundamus, variae causae obstant. De Cloatii aetate parum exploratum adhuc est; a Varrone eum ad partes vocatum dicere, si per aetatem liceret, non licet propter illa, quae ex eo allata sunt § 1 4 studiumque Gellii diligentius testantur. Contra Cloatio Varronis mentionem tribuere non audebit is, qui et totius loci tenorem perpenderit et quanto studio noster Varronem amplexus sit, recordetur. — Hoc exemplo demonstravimus, duos eiusdem rei auctores interdum iuxta reperiri, quos in unum coniungere non liceat, nec rarius videlicet usu veniet, ut complures diversa quidem in re, eodem tamen capite coniuncti occurrant.

b. Ubi ad singula tantum laudatur auctor.

Hoc est praeceptum illi, quod supra statui, quodommodo contrarium. Nam totum quidem caput uni fere auctori tribuendum esse et antea significabamus et nunc demonstrare conabimur; nunc tamen ita, ut quum alia pars capitis certo auctori tribuatur, alia sine auctore adiecta sit, cuncta nos ad unum eundemque referamus. Exempla illustrant rem.

L. XVII 15, 6. Plinius Secundus in libris naturalis historiae scripsisse dicitur de elleboro in insula Anticyra sumendo et de Livio Druso illius medicamenti ope sanato. Praemissa sunt sine auctore § 1- 2 de Carneade, qui adversus Zenonem scripturus elleboro mentem acuisset, § 4—5 de candidi et nigri ellebori medela et periculo, sequuntur § 7 de Gallis, qui elleboro sagittas inficerent, bestiarum carnem teneriorem reddituri. Quorum quae Gellius Plinio tribuit, ex-

stant apud eum nat. hist. l. XXV c. 5, sect. 21. Eodem autem loco expositum invenies etiam de speciebus duabus ellebori, de diverso utriusque usu, sect. 23 de periculo, sect. 25 de Gallis. Haec igitur Plinio reddimus sine diserto Gellii testimonio. Sed etiam invito eo idem de Carneadis historia affirmarim, de qua admonuit Plinius sect. 21. Nam quod eam se in historia Graeca legisse noster dicit § 3, non obstare concedes, si legeris, quae de Gellii fide disserui § 5; quod vero paulo fusius rem narrat quam Plinius, explicari videtur lacuna Plinii, quam suo iure hoc loco statuit Silligius.

c. Subtilior quaestio de exemplis agi potest, quae innumera interdum Gellius congessit ad illustranda praecepta grammatica. Hic enim quibus angustiis premamur, facile apparebit. III 14 subtilem illam Varronis doctrinam de dimidiato et dimidio ipso eius loco exhibito demonstrat. Addit exemplum Ennianum § 5, quod profitetur Varronem ipsum adhibuisse. Deinde a § 6 id agit, ut Varronis praeceptum per varios usus exemplis scriptorum deducat. Haecne igitur et ipsa ut Ennianum locum a Varrone mutuatus sit? Sic saepius auctori suo exemplum aliquod debere se fatetur. IV 16, 11 Caesellius Vindex ei Livii versum indicavit, IV 7 rursus Ennianum a Valerio Probo accepit. Atque hic locus satis insignis est. Miratur enim Gellius, quod ille, quum rem, de qua agitur, frequenter apud alios obviam esse asseverarit, unum solius Ennii versum apposuit. Nec tamen Gellius operam dedit, ut alia exempla adderet, sed in alieno acquievit. Haec declarant, quod sua sponte patebat, nonnunquam nostrum exempla ab aliis collecta recepisse. Atque vero etiam summam suspicionem movent, Gellium ultra quam ipse confessus sit alienos exemplorum thesauros lucri fecisse. Atqui ne verbo quidem opus erit, ut probem, his non solis eum usum esse, sed addidisse e sua lectione multa. Tanto enim flagrabat pervestigandi veteres studio, tantaque opera in colligendis rarioribus aut verbis aut dicendi modis versabatur, ut exempla vix unquam eum defecisse credam. Ac si interdum inventa quadam rara, ut aiunt, ave gloriatur (XVIII 8, 17 „Quod unum ergo rarissimum vide„batur, invenimus quadrigam numero singulari dictum in libro „saturarum M. Varronis“ rell.), tacite de suis multo saepius

nobis impertiverit. Quare si quaeritur, utrum exempla, tanquam studii et lectionis documenta Gellio tribuamus an abiudicemus ab eo, nisi ipse innuit, dubii haeremus ac suspensi, illo quoque auxilio destituti, quo in dinoscendis ceteris uti possumus, ut comparatis aliis reliquiis coniecturam faciamus. Ut enim iudicium aliquod vel excogitatum vel narratum certi cuiusdam ingenii est et proprii, ita exempla quivis unus eadem eodem modo proferre potest. Neque igitur poterit neque oportebit fieri, ut hac in re communem legem praecipiamus; sed ex unoquoque capite pendet discrimen.

§ 4.

De Graecorum lectione et usu.

Quod supra § 1 probare studui, ab eo, qui auctoritates Gellii coniectura quaereret, recte rationem haberi consuetudinis, qua is aut ad singulos auctores aut ad totum genus eorum trahi videretur, id quomodo in Graecos cadat, breviter nunc expedire invabit.

Ac Graecae linguae Gellium haudquaquam fuisse ignarum, testimoniis, si opus esset, luculentissimis probari posset. Quod unaquaeque pagina testatur. Praeterea ipse Gellius certiores nos fecit, Athenis se litteris operam dedisse, quam urbem quasi almam studiorum matrem adolestentes Romani tum adire solebant. I 2, 1 „quum apud magistros Athenis essemus.“ Nec praetermittam, intima eum consuetudine coniunctum fuisse cum Favorino, Herode Attico, aliis, quos graeco sermone familiarius quam latino usos esse scimus. I 2, 6 „Tum Herodes, graeca, uti plurimus ei mos fuit, oratione utens.“ De Favorino cf. II 26; XIII 25, 4. Sic ad studium graecorum scriptorum undique incitatus, quum nec facundiam huius linguae animadvertere non posset, et summi ingenii viros ea usos esse videret, in tantam eius admirationem raptus est, ut tardam Romanorum orationem sordere prae graeca facilitate (XI 16; XVIII 14) et in imitandis Graecis longo inferiores exstitisse populares existimaret. Neque tamen ideo totus in illorum castra transfugit, sed suis hominibus fidem debitam praestitit, et quum studiis grammaticis, antiquitati, historiae, juris doctrinae, philosophiae potis-

simum vacaret, in hac una graecos plerumque auctores adhibebat, in reliquis satius ducebat Romanorum humeris inniti. Id si locis permultis evinvitur, quibus nomina auctorum ipse addidit, apparet quasi praeceptum nobis sequendum esse, ubicunque aggressi erimus, fontem non indicatum coniectura assequi. Prudenter igitur, mea sententia, is aget, qui in tali quaestione non ad graecum aliquem confugiat, nisi si certa argumenta aliunde suppetant. Haec varia sunt et universo huic quaestionum generi communia: singularem quandam, quum de graeco fonte agitur, iudicii normam praebere possunt graeca verba immista. Libenter enim Gellius fecit, ut si quid secundum graecum auctorem referret, ipsius verba passim aut ut lepidiora aut ut difficiliora interpretatu servaret. Atque huius rei exemplum afferre supersedeo: melius erit talem locum proponere, ubi quia graeca desunt, in Romani fontis suspicionem traducimur, licet graecum indicare videatur Gellius.

II 29 laudat Aesopi fabulatoris rationem, qua gravissima praecepta festiva illa et grata fabularum suavitate lectoribus commendaverit. Deinde ut huius rei documentum, apologum Aesopi de cassitae nidulo enarrat. Exeunte capite eadem haec scite et venuste Ennium versibus composuisse memorat, eius extremum versum apposuit. Vahlenius, quaest. Enn. p. 89 haec ab Ennio, non ab Aesopo sumta esse iudicavit: idem mihi, antequam Vahlenii sententia innotuit, visum erat. Suspiciones erant complures: Aesopus hoc uno loco laudatus, Ennii versus in fine adscriptus, haud vero tenuissima, quod graeca tanquam frustula desiderabam. Neque tamen timendum est, ne quis eo consilio illud iudicii moderamen a me propositum esse existimet, omnes ut vellem quaestiones eius auxilio dirimere. Longe enim absum, ut eam unam ob causam, quia graecae reliquiae absunt, rem a latino utique auctore repetam, longius etiam, ut graeco vindicanda putem, quae graecis illis quasi pigmentis splendeant. Hoc enim dudum Romanis frequens ornandi sermonis sui artificium erat: illud autem, ut locus a graeco auctore desumtus omnia originis indicia exueret, potuisse fieri, ratio vincit, factum esse, exemplum doceat. Ipse Gellius l. XVIII 3 fontem fuisse innuit orationem adversus Timarchum Aeschinis et nonnulla de ea praefatur: at in Gellii

narratione ne unum quidem graecum verbum relictum est. Nihilominus autem Aeschinem in Gellii manibus fuisse contendam. Paulo sane fusius noster, quam graecus orator, rem enarravit, quin etiam addidit de suo aliqua, alia ademit; sed haec sunt eius, qui ad delectandos lectorum animos rem exornat. Alia rursus proxime ad illum accedunt, cf. Aesch. l. l. § 73 *τοιούτοις ἐν ταῖς ἐκκλησίαις συμβούλοις χρώμενοι*, Gell. § 5 „si huiuscemodi anteactae vitae hominibus consiliariis „utemur.“ Praeterea tractavisse Gellium hanc Aeschinis orationem luce clarius apparet ex iis, quae I 5 de Demosthenis molliore cultu posuit, expressa videlicet ex Aeschinis loco adv. Timarch. § 53. Ita nostro loco quod desiderantur graeca, tanti momenti non esse debet, quominus ipsum Aeschinem Gellio ante oculos fuisse statuamus. Notam autem hanc nostram graecae originis apparet iam ita in dubitationem vocari, ut pro argumento per sese sola esse non possit, tantum si qua alia accedunt, ea confirmare.

§ 5.

De A. Gellii fide.

Si minus bene apud viros doctos audiret Gellius, in utramque nunc partem mihi disserendum esset, ut et quae pro fide, et quae contra eam dici possent, colligerem perpenderemque. Quum autem commodius fortasse, quam par est, audiat, fidem quidem omnino integram meo mihi iure sumere videor, nec opponam me tanto vv. dd. consensui, gravi videlicet et in universum iusto: non tamen semper sibi satis constitisse Gellium, uno exemplo ostendam maxime insigni.

IX 4 narrat Gellius se libros Aristeae Proconnesii et Isigoni Nicaeensis et Ctesiae et Onesicriti et Polysthephani et Hegesiae parvo emisse, cursimque quae excerpsisset transiens, iam referre § 6: „Erant igitur in illis libris scripta huiusce„modi“ rell. § 7 pergit, innuit vero sequentia etiam in Plinii naturalis historiae septimo legi, § 15 denique ipsa Plinii verba transscripsit. Singulis capitibus auctores singulos plerumque subesse, supra probabam § 3. Plinium autem utique hoc loco adhibuit, quum eius verba referat. At secundum graecos illos

priora se narrare, aperte profitetur. Equidem nequeo facere, quin Gellium mendacii arcessam.[1]) Primum iam mirum videri debet, quod sex auctores una tractans promiscue, quae illis debere se dicit, proposuit § 6; dein quod tam pauca et vilia sunt; nam quae inde a § 7 legantur, ex Plinio iam laudato petita esse facilius credas. Auget suspicionem, quod eadem illa etiam apud Plinium eodem septimo libro exstant, nec dispersa ea quidem, sed pari ordine continua, conficit denique, quod nonnulla Plinii verba apud Gellium redeunt inter ea, quae, si nostro fides, ex Graecis convertit. Ecce exhibebo similia verba, res enim utrobique eaedem. Cf. Plinium ed. Jan. l. VII § 9 – 12 et Gellium § 6. Plin. corporibus humanis vescerentur, Gell. corporibus hominum vesci; Pl. uno oculo in fronte media insignes, G. unum oculum in frontis medio habentes; Pl. homines aversis post crura plantis, eximiae velocitatis, G. singulariae velocitatis, vestigia pedum habentes retro porrecta; Pl. gigni quosdam ... a pueritia statim canos, qui noctu plus quam interdiu cernant, G. gigni homines, qui in pueritia canescant et plus cernant oculis per noctem quam inter diem; Pl. Itinere dierum XIII supra Borysthenem Sauromatas tertio die cibum capere semper, G. qui ultra Borysthenem fluvium longe colunt, cibum capere semper diebus tertiis, medio abstinere. Sed ipse sis adeas Plinium; magis enim etiam dissimilia, quum aut dedita opera mutata, aut Plinium interpretatura sint, tibi persuadebunt. Et prorsus eandem excerpendi rationem in sequentibus (cf. Plin. § 16) deprehendes, ubi quidem Gellius Plinium auctorem fuisse innuit. Atque sex illi scriptores et ipsi a Plinio laudantur l. VII § 10 Aristeas Proconnesius, § 12, 16, 27 Isigonus Nicaeensis, § 23, 28, 207 Ctesias, § 28 Onesicritus, § 207, 208 Philostephanus[2]) § 207 Hegesias. Dignum vero

---

[1]) Idem de hoc loco iudicasse video Merklinum l. c. p. 641 sqq.

[2]) Non enim iam dubito Polystephanum Gellii aut a varia codicum lectione aut a negligentia nostri repetere. — Hegesias et Philostephanus quia a Plinio non ad eas res auctores laudantur, quas Gellius transsumpsit, Mercklino p. 643 visi sunt in nostri notitiam venisse ex libro Sotionis χέρας Ἀμαλθείας inscripto, quem Gellius I 8 laudavit. Quod nescio an longius absit a fide, quam id, quod relinquitur alterum, Gellium hos, quum eodem libro septimo inveniret, temere cum reliquis arripuisse.

nota est, priores tantum duos et Plinium et Gellium patria addita laudare, reliquos sicut a Gellio, a Plinio quoque nude positos. Offendit denique quod Gellius contra morem solitum librorum illorum titulos non prodidit. Quae mihi omnia reputanti nulla relicta esse videtur via, quam ut dicamus Gellium ne a turpi quidem mendacio abhorruisse ad vanam scilicet captandam multae doctrinae gloriolam. Nec legit me iudice unquam nec emit libros illos; quorum in altero hoc suam quisque optionem sequatur, dum illud concedat, non ex graecis auctoribus sed uno ex Plinio Gellium sua hausisse.

Hoc sane exemplo valde delibilitatur nostri fides. Sed „quandoque bonus dormitat Homerus“: infelici hora ei accidit, ut a veritate, quam alias amicam habebat, hoc loco descisceret; invitabat scilicet nescio quo pacto fortasse ipsa illa miraculorum immanitas.

§ 6.

De citandi ratione. [1])

De citandi more non prius quaerere poteram, quam illa de fide quaestio absoluta esset: iam cur quaeram, in aperto est, nec defensione me egere video. Siquidem apparet, eo examine recte instituto quaestionem de fontibus et ipsam nonnihil iuvari. Nam si ex iis locis, ubi argumenta extrinsecus suppetunt, aut maxima certe probabilitate agi potest, contingat legem quandam et constantem consuetudinem scriptoris excutere, ea iudicium temperandum erit, ubi coniectando opus fuerit; si minus, id ipsum, nos certa norma carere, in lucro collocandum.

a. In laudandis librorum titulis longe maiorem fuisse Gellii *ἀκρίβειαν* quam aliorum plerorumque satis constat. Saepissime enim non auctorem tantum, sed etiam libri et titulum et numerum [2]) adnotavit. Diligentem ex. gr. laudationem

---

[1]) De hac libellum suum composuit Mercklinus; unde quae adoptavi, in notas reieci.

[2]) Libri numeros interdum parum memoriter apposuit. Adnotavi I 2, 6, ubi, quae apud Arrianum II 19 leguntur, primi libri esse dicit. I 22, 8, ubi ad Cic. d. rep. librum secundum delegamur, quamquam III 21, 32 hodie exstant. XII 7, 8 Valerii Max. non nonum sed octavum librum citare debebat. Semel, quod sciam, commisit, ut librorum titulos confunderet, Theaetetum cum Theage Platonis XIII 19, 2.

invenies VII 5 „Alfenus Varus .... in libro digestorum trice-„simo et quarto, coniectaneorum autem secundo.“ Verum non ubivis ad eam diligentiae normam titulos exegit. Nonnunquam auctorem sine libro laudat, quod, si quo familiarius utebatur scriptore, offendere non potest, velut in Varrone (I 20) Nigidio Figulo (X 11), aliis, auget autem dubitationem, quam de auctore rarius laudato habemus, ut in Aelio Stilone (II 21, 8) et Aristea, Isigono reliquis, IX 4, 3, quos ex auctorum numero eximebamus § 5. Saepius etiam, quum praeter auctorem scriptum laudaret, libri tamen numerum omisit, ex. gr. XVII 15, 6 „Plinius Secundus in libris naturalis historiae.“

Quodsi vero Gellius libri titulum apposuit, qua fide fecerit, quaeritur. Qua in re duae citandi rationes segregandae erunt, altera, si de ipsa libri inscriptione testatur [1]), altera si non minus libri argumentum quam titulum respicit. Atque in priore eandem, quam omnino praestitit, fidem et diligentiam ei recte vindicabimus. Ita quas in praefatione § 6 miras et memorabiles librorum inscriptiones enumerat, eae, quia de solis titulis agitur, in suspicionem adduci non debebunt [2]). Firmantur praeterea aliis Gellii locis, ubi accurata illa citatione laudantur. I 8 „Is librum multae variaeque historiae refertum „composuit eumque inscripsit κέρας Ἀμαλθείας.“ I 25, 17 „Aurelius Opilius in primo librorum, quos Musarum inscri-„psit.“ Eadem ratione alios titulos in opere posuit, non laudatos in praefatione, sed fide dignos. V 21, 10 „Prima epistula „scripta est ad Pacuvium Labeonem, cui titulus praescri-„ptus est: Pluria non plura dici debere.“ XVIII 6, 3 „Ei libro „titulus est ingentis cuiusdam inlecebrae ad legendum; „scriptus quippe est: de loquendi proprietate.“ XVI 12, „Cloatius Verus in libris, quos inscripsit verborum a Grae-„cis tractorum.“ [3])

---

[1]) Quod plerumque fit verbo apposito inscribere vel scribere. Cf. Merckl. p. 639 Not.

[2]) Discrimen illud, quo ex. gr. „Musarum“, „silvarum“, „lectionis suae“ casu genitivo posuit, contra „memoriales“, „coniectanea“ casu recto, cave ne nimis urgeas. Conferas § 4 „idcirco eas inscripsimus noctium esse Ar-„ticarum“ et § 10 „Atticas noctes inscripsimus.“

[3]) Illud „verborum“ non, ut opinor, Gellius intrusit, sed Macrobius omisit Sat. III 18, 4 „Cloatius Verus in libro a Graecis tractorum.“ Ab

Jam de altero citandi modo, si, ut ipsum titulum accurate exhiberet, minus eius intererat. Ita quidem variis modis mutare poterat.

Aut enim auxit titulum explicationis causa. Caeselli Vindicis liber laudatur III 16, 11 hoc titulo: „Caesellius Vindex „in lectionibus suis antiquis", nec dubito quin is titulus revera fuerit, quum praef. § 6 antiquarum lectionum inscriptio occurrat. Sed plerumque Gellius addidit „commentaria" II 16, 5 „in commentario lectionum antiquarum", cf. XI 15, 2; VI 2; XX 2, 2. Quod commode explicatur comparato XVIII 4, 11 „ut commentariis harum noctium inferrem, notavi, et intulisse „iam me aliquo in loco commentationibus istis existimo." Satis enim elucet e praefatione § 4 et § 10, titulum operis fuisse „noctes Atticae."

Aut minuit titulum brevitati consulens. I 25 „M. Varro „in libro humanarum, qui est de bello et pace" XVI 17 „M. „Varro in libris divinarum." Praeterea comparandi sunt loci XIX 14, 4 „(Nigidius Figulus) in commentariis, quos gramma„ticos inscripsit" X 5 „P. Nigidius in commentariorum undetri„cesimo" XVIII 4, 11 „in libris Nigidianis". Denique III 19 „Legebatur Gavii Bassi liber de origine verborum et vocabulo„rum". II 4, 3 „Gavius Bassus in tertio librorum, quos de „origine vocabulorum composuit" et III 18, 3 „Gavius Bassus „in commentariis suis", quod de eodem illo libro intelligendum est. Cf. quae ad Gavium Bassum disputabo.

Aut denique omnino mutavit, ita ut libri argumentum potissimum spectaret. Caesaris libros de analogia plus semel citavit et hoc ipso nomine. Sed IV 16, 9 legimus „(Caesar) in „libris analogicis". Quod exemplum, si magis placet, etiam decurtatis titulis adnumerare possis. C. Julii Hygini librnm I 21, 2 sic laudat: „in commentariis, quae in Virgilium fecit." Aliter XVI 6, 5 „in quarto librorum, quos de Vergilio fecit." Varronis de sermone latino ad Marcellum libri citantur XVIII 12, 8 „libri Varronis, quos ad Marcellum de lingua latina

---

his alieni sunt Cloatii Veri „Ordinatorum Graecorum libri" apud Macrobium Sat. III 18, 8; III 6, 2; III 19, 2. Vd. Baehr. Hist. litt. edit. III Tom II 574 not. 17, et quae infra ad Cloatium disputavi.

fecit." X 26, 8 laudatur „Cato in libro de re rustica" contra III 14, 17 „Cato in libro, quem de agricultura conscripsit."

Haec declarant, Gellium testem plerumque fidelem et locupletem, non tamen nunquam ab anxia citandi cura descivisse. Atqui advertas animum, in nullo horum mutati tituli exemplorum verbum deesse vel „conscripsit" vel „fecit" vel „composuit", quo adiecto apparet facilius Gellium potuisse argumentum potius quam titulum indicare. Dubitari igitur debet, num eadem mutandi licentia usus sit in laudatione magis fixa, et quae verbo deficiente tanquam obrigesceret. Exemplum ponam vv. dd. controversia illustre. Gellius III 3, 9 haec habet: „M. Varro „in libro de comoediis Plautinis primo." Hunc librum Ritschl quum Parerg. I 178 statuisset, eundem esse atque quaestiones Plautinas, haec retractans, in Mus. Rhen. VI p. 517 ab his separandum esse iudicavit. In quo Mercklinum prioris iudicii adstipulatorem habuit, in M. Rh. XII p. 378, equidem, quum disiungendi rationem in Varrone ingens, quem complevit, librorum numeros commendet, non dubito, quin secundae hic quoque curae fuerint sapientiores.

b. In transscribendis scriptorum locis, quos Gellius praeter ceteros grammaticos multos servavit integros, rursus se praebet in universum fide dignum et diligentem e Repieriuntur scriptorum loci, qui, si genuinam scripturam eam statuas, quam hodie codices commendant, ab ea nihil discrepent [1]), sunt multi alii, qui ita discedant, ut varietas librorum manuscriptorum dissensui recte imputari videatur.[2]) Invenimus plerumque eundem ordinem, eadem verba; et merito, opinor, Buechelerus contra Roeperum monuit Mus. Rh. XIV p. 419, ne saturas

---

[1]) Ubi integra scriptorum verba transscripsit, ex ipso, quo laudantur, modo facile cognoscitur. Occurrendum tamen errori est. Verbum „inquit" apud Gellium non semper indicat laudationem ad verbum factam. Cf. Hermann, De L. Attii libris didascalicon Lips. 1842 p. 6. Invenitur, ubi ex graeco auctore latine refert I 3, 23 et in latinis etiam scriptoribus IX 4, 15 „Ex feminis, inquit, mutari in „mares fabulosum non esse". Ubi videlicet Plinius l. VII § 36 „fabulosum non est."

[2]) Eum enim iam tum temporis satis magnum fuisse, apparet ex multis locis, ubi deteriores libri a melioribus discernantur. I 16, 15; II 3, 5 et 6. Cf. Graefenhan Hist. phil. class. IV p. 373 Not. 31—34 et Vogel, l. l. Not. 34.

Varronis interdum a Gellio in pedestrem sermonem transversas esse opinaremur. Poetarum enim versus permultos salvis numeris recepit, saepenumero delectari se sonitu eorum grato ac iucundo innuit, XII 4, 3; XIX 9, 10 et 12.[1]) Facilius credam, id quod minus recte negavit idem vir doctus, memoriam interdum eum defecisse. Nam ex memoria se hunc vel illum locum dixisse quum ipse professus sit, (XVII 2; XX 10, 4) non est cur negemus; quos locos patet magna cautione accipiendos esse eoque maiore, quum ne hi quidem, quos transscribens ante oculos habebat, mutationibus prorsus careant. Quarum quum tabulam quandam propositurus sim, tres potissimum mutationis causas separandas esse video.

Nam primum quidem in laude potius quam in vituperatione colloco, quod, ne in medias res lectorem raperet, initia interdum mutavit.

Exempla illustrent. II 20, 2 refert ex Varrone: „Villaticae pa„stionis genera sunt tria", rell. Contra apud Varronem d. r. rust. III c. 3 haec habes: „Eius disciplinae genera sunt tria." Sed c. 2 extr. Varro sic: „Induce me in viam villaticae pastionis", atque inde Gellius, lectori satisfacturus, supplevit loci caput. Sic quo magis Ciceronis locum legentibus accommodaret orat. c. 48 § 158, Gellius XV 3, 3 pro relativo enuntiato „quae praepositio" posuit demonstrativum „haec praepositio". III 16, 24 in Plinii loco l. VII § 42 Jan. omisit Gellius „quidem", quia in sententia abrupta superfluum erat. IX 6, 16 Plin. l. VII § 34 addidit perspicuitatis causa „homines". III 14, 17 Cato d. re rust. c. CLI supplevit praecedens „cupressi". Nec in uno verbo addendo substitit, sed, ubi opus erat, liberius affinxit quaedam. Cato d. r. rust. c. I. „oppidum validum prope siet" e. q. s. Gellius X 26, 8 praemisit: „Fundus eo in loco habendus est, ut oppidum „prope" e. q. s. Varro d. l. lat. VI 59 sic: „A quo etiam „extremum novissimum quoque dici coeptum volgo," Gellius

---

[1]) Nec obstat III 11, 4 Accii locus ex didascalicis. Ex Varrone enim eum transsumtum esse contendo, qui, ut III 3, 9 Accii ipsum versum, ita hic sententiam videtur laudavisse. Quamquam dubitatur a viris doctis, Accii didascalica an versibus scripta fuerint. Cf. Madvigium opusc. I, 90 sqq., et contra eum Hermannum l. l. et Lachmannum in ind. l. Berol. hib. 18⁴⁹/₅₀.

X 21, 2 tanquam Varronis verba: „Quod extremum dicebatur, „dici novissimum coeptum vulgo.“ Huc pertinet etiam, quod V 20, 2 Sinnii locum sic laudat: „Soloecismus est impar atque „inconveniens compositura“ e. q. s., quamquam illum eiusque aetatis grammaticos non soloecismum sed imparalitatem dixisse ait. Cum Hertzio enim Sinn. Cap. p. 27 adn. 28 censeo Gellium hoc mutasse, quo melius aequales intelligerent.

Ad alterum genus pergo mutationum longe frequentissimum, quod ortum est minore Gellii cura. Quamquam vereor, ne quis unam et alteram varietatem a discrepantia librorum quam a Gellii negligentia repetere malit. Sic verba aliter disposita quum apud Gellium saepius reperiantur, sane quam saepe in libris deterioribus ipse invenerit.

Gell. IX 4, 15 die nuptiarum	Plin. l. VII § 37 nuptiarum die
Gell. I 3, 13 venia dari	Cic. d. amic. 17, 61 dari venia
Gell. XI 2, 4 parcissimus elegantium	Cic. Brut. 40, 148 eleg. parcissimus
Omisit nonnulla:	
Gell. XVII 5, 2 „indigens mei? ne ego quidem illius“	Cic. d. amic. c. 9 § 30 „indigens mei? minime hercle: ac ne ego quidem illius.“
Addidit aliqua:	
Gell. I 3, 13 utendum esse	Cic. d. amic. 17, 61 utendum
Gell. IX 4, 15 visum esse a se	Plin. l. VII § 36 a se visum
Omnino mutavit:	
Gell. VI 11, 8 compositum	Varro d. l. lat. X 81 coactum
Gell. I 15, 5 stultam loquacitatem	Cic. d. orat. III 35, 142 stultitiam loquacem

Hic, ne lectoris fastidium moveam, subsistam, siquidem plus interest, ut varias species, quam plenum omnium numerum proponam.

Atque in priore mutationum genere defendi, in altero excusari saltem poterit Gellius; acerbissima autem reprehensione dignum est, quod interdum suae inserviens causae etiam commisit, ut auctores corrumperet. Cuius levitatis documentum edidit in Plinii eodem illo loco, qui eum ut alio etiam modo a vero deflecteret, invitabat, l. VII 36 „Ipse in Africa", inquit Plinius, „vidi mutatum in marem nuptiarum die L. Cossitium, „civem Thysdritanum". Hic Gellius IX 4, 15 quo scilicet maiorem rei fidem faceret, addidit quasi Plinii verba: „vivebatque „quum proderem haec", cuius varietatis in Plinii codicibus nullum vestigium apparet. Hoc ego unum adhuc manifestae fraudis exemplum inveni; nec multa praeterea deprehendi posse, quovis contendam pignore. Sed sublevari inde Gellii crimen ut opiner, longe absum.

§ 7.

De sermonibus apud A. Gellium.

Quum ea quae adhuc de more Gellii disputavimus, maxime ad scriptores a Gellio adhibitos pertineant: excepta illa quaestione de fide scriptoris magis generali, quam non licebat differre diutius: nunc de iis, quae grammatici apud Gellium exponunt praesentes, quaestio imminet, momenti, ut arbitror, haud sane minoris. Adeo enim cum universa fontium investigatione coniuncta est, ut haec iuste absolvi illa neglecta non possit.

Supra iam Gellium ex ipsius verbis cognovimus non solum quos legendo sed etiam quos audiendo fructus percepisset, noctibus Atticis nobis tradidisse. Itaque quum praeter quaestiones ab ipso institutas, descripti aliorum sermones occurrant, illas solas ex libris profectas esse putarit quispiam, his autem contineri, quae memoratu digna audierit. At intercessit Dirksenius [1]), cui ego nunc, quum secundis curis quaestionem repeto [2]),

---

[1]) L. l. p. 9: Die Gesprächsform der Darstellung erscheint bei Gellius nur ausnahmsweise bedingt durch die äußerliche Veranlassung der angeknüpften Erörterung. In den meisten Fällen ist sie blos zufällig und willkürlich herbeigeführt.

[2]) Primo ego hanc quaestionem attigi, quum seminarii philol. Gryphisw. sodalis essem.

magis magisque assentior. Movent me quippe praeter gravissima illius viri argumenta, loci quidam Gellii antea nondum satis considerati.

Atque fidelem sermonis memoriam Gellium interdum tradidisse, ut exemplis ostendam, nemo postulabit. Cui generi plura, quam Dirksenius voluit, adnumeranda esse censeo. Sed ab iis sermonibus, qui mutationis cuiusdam vestigia prae se ferunt, ad hos transgrediar, qui nullam veri speciem habere videntur.

Ac primum quidem Dirksenium descriptio disserentium parum diligens in suspicionem sermonis commenticii adduxit. Quod concedens argumentum non tamen ad totam quaestionem dirimendam idoneum esse arbitror. Veluti nimium illi facile tribuit vir doctus, quum p. 9 not. 26 in fictis sermonibus locum habere vellet V 13. Ubi Gellius non ipsos, quos audivisse se profitetur, disserentes fecit, sed sermonem habitum esse narravit, locos autem scriptorum ad eam rem conducentes postea ipse subiecit. Quodsi hos locos Gellius, ut saepius, colloquentibus tribuisset, merito de integritate sermonis dubitaremus: at in suspicionem rem vocare, quia personae parum designatae sunt ne ut disputantes quidem inductae, me iudice non licebit. Nec solum, quia leviter descriptae sunt personae, sed etiam quod frequentes eaedem occurrunt, sanguine et spiritu carere visae sunt Dirksenio; quarum exempla collegit not. 27. L. VI 17 Gellius ex grammatico quodam quaerit de significatione voc. obnoxius, ac primum satis verecunde „non hercle „experiundi vel temptandi gratia, sed magis discendi studio“, ut ipse ait. Iste indoctum hominem despiciens arroganter respondet, tales minutias aspernari se innuit. Urget vero Gellius, ille reluctatur, tandem, si dis placet, ridenda profert. Quum autem usque tenet noster, nebulo puerili dicto mendacio evadit. — Haec narratio satis lepida et iucunda aures delectat, nec per se ipsa offendere potest; saepius tamen quum similis redeat, non temere eam Dirksenius ab artificio quodam repetiit.

Maiorem autem, quam haec argumenta, suspicionem movent sermones negligentius compositi.

Occurrunt igitur loci, ubi sermonis forma subito relinquitur. Cf. Dirks. p. 11 adn. 33. XIII 21 Prodit disserens Va-

lerius Probus, non ille quidem a Gellio auditus sed a familiari, qui postea haec cum Gellio communicavit. Ac satis docte Probus in sententia sua probanda versatur; subito tamen obmutuit § 8, et Gellius sermonem arripiens eodem modo, quo ille auspicatus erat, rem perducit. Quod non ita proposui exemplum, ut sermonis prorsus commenticii speciem ostenderem: Probum enim multis nominibus sapit illa disputatio: sed ut appareret, et illa, quae ex ore Valerii proficiscantur et haec, quae Gellius addat, ut specie fere eadem, ita originem similem indicare. Neque alienum ab hoc loco videtur exemplum supra tractatum VI 17 Neque enim, quum iste grammaticus abiit, disputationis facies, si verum quaerimus, mutatur: praesente illo locos scriptorum Gellius protulerat, absente porro alios adicit.

Aliud negligentiae et inconstantiae vestigium l. II c. 22 conspicuum est. Favorini philosophi disputatio de ventis copiosa et erudita describitur. Progrediente sermone varia ventorum nomina Favorinus enumerat, „Addidissemque", inquit § 25, „eos, qui etesiae et prodromi appellitantur, qui certo tem„pore anni, cum canis oritur, ex alia atque alia caeli parte „spirant." Contra exeunte capite § 30 haec ab ipso Gellio assuta invenimus: „Quod supra autem dixi, ἐτησίας ex alia atque „alia caeli parte flare, haut scio an secutus opinionem multorum „temere dixerim." Supra igitur Favorinus haec docuit, deinde Gellius, quasi ipse statuerit, rescindit, nec se dixisse tantum, sed secutum se esse opinionem multorum affirmat. Difficultas sane memorabilis, et quae summo iam Gronovio dubitationem moverit.[1]) Mihi quidem hunc locum saepius tentanti una ratio visa est explicandi probabilis. Disseruerit Favorinus de ventis, auditor fuerit Gellius, quae acceperit ab illo, postea hac descriptione sit persecutus: illud mihi iure videor contendere, explevisse Gellium et auxisse Favorini expositionem.[2]) Fugit autem eum haec corrigentem, Favorino se superiora tribuisse. Nolim me interpelles, a Favorino haec statuta esse, Gellium

---

[1]) Ab eo enim in notis ad h. l. reperio propositum „dixit" et „dixerit", coniectura invitis prorsus libris periculosa.

[2]) Totam hanc disputationem ex Nigidio § 31 laudato sumtam esse, censet Mercklinus l. l. p. 677, secundum Beckerum ad Isidor. d. nat. rer. p. XVIII. sq.

non minus potuisse oblivisci. Negligentia quadam accidere potuit, ut, quem supra disserentem fecerat, eius postea rationem non haberet: eadem negligentia semet ipsum vanae opinionis auctorem profiteri potuisse, quum revera Favorinus fuisset, nullo pacto adducor ut credam. Omnino autem nimis religiosum in mutandis sermonibus non fuisse nostrum, hoc exemplo doceri possumus. L. XIX 8, 6 Poeta quidam doctus loquitur: „de caelo", inquit, „et tritico non infitias eo, quin singulo semper „numero dicenda sint ....., videbimus autem post de inimi- „citiis et quadrigis." Deinceps idem haec: „Ac fortassean de „quadrigis veterum auctoritati concessero" rell. Ita disserens ille etiam de quadriga singulariter dicta desperat. In fine autem capitis § 17 ipse Gellius gloriatur, se exemplum indagavisse huius vocis singulari numero pronuntiatae. Primum igitur noster, si quid video, quadrigae quoque illud exemplum poëtae disserenti tribuere voluit; sed sive huius inventi gloriam illi invidebat, sive caput sic melius conditurum se esse arbitrabatur, ille, quod pollicitus erat, recusat, et Gellius ipse lectorem insperato gaudio afficit. Reperiuntur denique sermones ob exemplorum multitudinem aut minutam rerum notitiam quadamtenus suspecti. Audimus enim saepenumero disputantem aliquem de re aliqua grammatica: quae quo magis obscura erat et abhorrebat ab usu vulgari, eo optabilius erat, ut exemplis muniretur. Itaque sane quam admirabiliter viri illi docti, quibus aures noster praebuit, licet plerumque ex occasione fortuita disserant, depromunt expedite opipareque effundunt varios scriptorum locos. Velut l. XIII 25 Favorinus a quaestione quadam singulari ad usum scriptorum coacervandi synonyma digreditur. Per hanc autem disputationem, si ad calculos vocamus, ex tribus Ciceronis orationibus, totidem Catonis, ex Aristophanis comoedia singulos, innumeros praeterea Homeri locos congessit. Quod si divina illa Favorini memoria, quae § 5 et aliis locis praedicatur explicari posse ais, nec unus Favorinus apud Gellium extitit tam praeclara memoria praeditus, et restat tamen alia difficultas. Nullo enim loco noster, quod meminerim, innuit, se haec, quae audiret, in ipsa disputatione schedis consignare: ita rei summam memoria tenere facile potuit, singula autem illa et lacera iuste miraremur si semel audita tam memoriter servasset. Pro-

babilior igitur alia ratio videtur explicandae difficultatis: sermonis, ut videtur, vere habiti occasionem nactus Gellius de suo nonnulla adiecit, in conscribendaque Favorini disputatione ita versatus est, ut pro tumultuaria iam expolitam legamus et limatam et exemplis undique fultam.[1]) Quam viam nobis Gellius alio loco monstravit. I 7 Amicus quidam ad sententiam probandam silvam congessit exemplorum. Neque enim satis habuit Laberii et Quadrigarii locos afferre: excitavit etiam testes Gracchum et Plautum et Valerium Antiatem. Ubi ille finem fecit, Gellius § 18 „Multam", inquit, „nos quoque apud veteres „scriptores locutionum talium copiam offendimus, atque his „vulgo annotamentis inspersimus." Quod his verbis fatetur, impulsum videlicet amico audito circumspesisse se huius, de quo ille dixerat, usus exempla et adnotasse, quae indagavisset, idem arbitror eum fecisse omnibus iis locis, ubi dives atque expedita loquentium memoria suspicionem nostram movet. Nostro loco addendis omnibus exemplis, quae in sinu habet, ob nimiam scilicet copiam supersedit. Sicut autem eum, si non supersedisset, persuasum habeo reliqua quoque amico tributurum fuisse, eodem modo et praecedentem disputationem suis exemplis auxerit et in aliis sermonibus peculiaris diligentiae fructus prodige largitus sit. Neque exempla solum huic obnoxia sunt dubitationi, sed etiam, si qua alia nimis erudita in ore alicuius deprehenduntur. Cuius rei idoneum exemplum proposuit illustravitque Dirksenius l. c. not. 36: verbum non amplius addam.

Restat vero, ut eorum sermonum, qui nihil veri prae se ferunt, specimina exhibeam. In quibus quoties depellere a me suspicionem conabar, toties in eam relapsus sum.

XIX 5 Amicus nescio quis Gellium atque familiares eius hortatur, ut a nive bibenda temperent; quum autem hi oracula ista flocci pendant, Aristotelis librum problematorum afferri iubet et gravisissima eius viri auctoritate ad puerilem illam in-

---

[1]) Accedere videtur hoc loco alieni fontis indicium § 29 „Manubiae „enim sunt, sicuti iam dixi (Favorinus), non praeda sed pecunia per quae„storem pop. R. ex praeda vendita contracta." Quidni Favorinus, si sua sponte loqueretur, statim praefectum aerario appellavit, quem illo tempore hoc munere fungi, § 30 semet ipse correcturus innuit.

temperantiam comprimendam abutitur. Ac primum narratio ipsa videtur ieiuna, languida, insulsa, quam quo saepius legeris, eo plus taedii capies. Personae vero, tam vir ille bonus quam Gellii sodales non nominati, umbrarum instar sunt, non hominum. Qualia argumenta quum supra infringere studerem, non ita studui, omnem ut ab iis accusandi vim abiudicarem. Immo si cum his coniunctae aliae suspiciones reperiantur, apparet per sese invicem corroborari. Accedit autem hic ea suspicio, quae defendi vix queat. XIX 2 ex iisdem problematis Aristotelis locus ductus est, iterum XIX 4, tum sequitur sermo, de quo agimus, et hunc rursus eiusdem libri locus excipit. Nec medius tantum inter mera Aristotelica, sed ipse etiam ita comparatus est, ut omnia ad eundem finem spectent, ad verba Aristotelis laudanda. Vide igitur, ne is sermo omnino habitus non sit: equidem non resistam suspicioni, Gellium hunc locum inter alios ex Aristotele excerpsisse, utque legentium animos paulisper relaxaret, hanc narratiunculam commentum esse. Minus certe gravari debemus tali artificio, quam quo IX 4 librorum emptionem et studium prorsus ementitus est. L. V 20 locum Sinnii Capitonis transscripsit; V 21 eiusdem Sinnii praeceptum de forma „pluria" tractat, ita tamen, ut virum quendam doctum cum grammatico quodam disputantem inducat. Quem sermonem multa confluunt quae suspicioni subiciant. Amicus Gellii anonymus plus habet doctrinae quam sanguinis; quocum autem disputat, „reprehensor audaculus verborum" (§ 4), non ovum tam ovo simile est, quam hic reliquis apud Gellium grammaticis, disputatio denique eodem decurrit, quo solent. Neque enim prius arrogantiae ille finem facit, quam alter Sinnii ipsius auctoritatem obicit. Postremo Gellius § 14 sermonem relinquens ipse ad Sinnianam sententiam accedit eamque firmare studet. Ac summam disputationis Sinnio deberi, manifestum fit collatis iis, quae ex illo narrantur § 9 sqq. Neque nos singula ab eodem repetere dubitabimus, sicut recte Hertzius Sinn. Cap. p. 12 statuit de subscriptoribus formae pluria § 6 laudatis. Iam si ad caput antecedens respicimus, nescio quid fucati et artificiosi omnis sermo accipere videtur. Priori capite Sinnii quidam locus exhibetur, de eoque exponitur: sequenti sermo

postquam ab hac via visus est longissime digredi, praeceps retro fertur ad eandem. His tot tantisque suspicionibus non cedere, vide, ne superstitiosi potius quam prudentis sit.

Satis iam de sermonibus disputatum est et ultra fortasse quam satis. Siquidem res lubrica et anceps est, semperque dissensioni locus reliquus. Unum illud dubium esse vix poterit, multa, quae sermonibus inserta legamus, e lectione Gellii profecta esse. Quae huius studiis haud dubie vindicabimus, ubicunque aliquod originis vestigium servarint.

§ 8.

De vestigiis A. Gellii apud posteriores grammaticos.

Quoniam constat, pleraque veterum grammaticorum recentioris aevi diligentia nobis servata esse, nemini mirum videbitur, quod disputaturus de iis, quae Gellius a superioribus grammaticis sumpsit, nunc me ad inferiores converto. Qui quum multa Gellio similia tradant, partim ex hoc ipso hauserunt. Exploranda igitur erit ratio, qua Gellium ad partes vocaverint, quo facilius in singulis diiudicari possit, quae ab hoc, quae ab aliis acceperint. Ac de omnibus, quicunque aliquid aliquando e nostro lucrati esse videntur, disserere longum est: agam de tribus potissimum Nonio Marcello, Servio scholiasta, Macrobio.

a. De Macrobio.

Macrobium primo loco posui, quia tribus verbis de eo absolvi potest quaestio. Is enim, ut Meursius voluit, „Gellii simia“, scrinia nostri aperte compilavit et ipsa verba perpaucis mutatis transtulit. Quocirca, licet Gellii nomen nusquam addiderit, ubi eum exscripserit, facile cognoscitur adeo concentus manifestus est. Cf. Jan prolegg. ad Macrob. p. XV et locos collectos in indice auctorum s. v. A. Gellius. Ubicunque igitur is cum Gellio convenerit, eam iudicii normam recte sequemur, ut ad nostrum revocemus, quae ille iisdem verbis protulerit, communem utriusque auctorem suspicemur, si quando, quod vix unquam accidit, res similis, verba alia occurrant.

b. De Servio.

A Servio Gellius nominatim laudatur compluribus locis. Semel omnes Servii codices consentiunt, alias ab uno Fuldensi vel Cassellano [1]) eius mentio servata est. Illum locum praemittam. Invenitur ad Aen V 738, ubi ad Gell. III 2 respicitur. Praeter Gellium laudat Servius Ciceronem in auguralibus et eum in quibusdam sequi videtur, quum Athenienses diem a sexta diei hora computasse dicat, noster „a sole occaso", idque ille ad Aegyptios referat. In universum autem satis libere nostro usus est et sententiam potius quam verba reddidit. Reliqui loci, ut dixi, in Cassellano tantum libro leguntur, ideoque uncis a Burmanno inclusi sunt. Gell. X 11 citatur ad Georg. I 260. Ne hic quidem ad verbum scholiasta Gellii locum expressit, sed varie mutavit. Nigidii locum, ni fallor, et ipsum ex Gellio transtulit et quae apud Burmannum tanquam Nigidiana leguntur „quod hinc debet intelligi" etc. sine dubio Gellio debentur. Maior aliquanto similitudo relicta est ad Aen. VII 640, ubi Gellius VI 20, ipsius nomine addito, ad partes vocatur.

Atque integra fere, ut hoc loco, Gelliana exhibita etiam aliis locis sunt, quibus tamen nostri auctoritatem non professus est scholiasta, sed sola nos similitudine ad eam coniecturam ducimur. Gell. II 6, 1, cf. Bucol. VI 75. Probi interpretatio verbi vexare proponitur, similis sine auctore apud Gellium § 5. Sed haec similia tantum. Quae autem assuta illic sunt, tam prope ad ea accedunt, quae apud Gellium leguntur, ut non uterque communem fontem, veluti Probum, sed scholiasta Gellium compilavisse videatur. Uno sane ille nostrum exemplo superat, sed eo, quod quivis unus addere poterat. Et quae eodem capite Gellius de inlaudato § 10 et de squalenti tunica § 19 sqq., redeunt apud Servium ad Georg. III 4, Aen. X 314 locis, de quibus Gellius egit. Sic manifesto consensu Gellium auctorem produnt, quae de discrimine matronae et matris familias dicta sunt ad Aen. XI 476, cf. Gell. XVIII 6, et de praepetibus ad

---

[1]) De Cassellano eiusdemque recensionis codicibus, qui Servium multo auctiorem tradiderunt, quam maior pars reliqua, disputavit nuper G. Thilo in M. Rh. N. XIV 4 p. 550 adsensusque est Danieli contra Scaligerum, non truncos esse plerosque libros, sed Cassellanum interpolatum.

Aen. VI 15, cf. Gell. VII 6. Priore loco praefixa sunt „alii „hoc putant rectius", quum praecedat Aelii Melissi opinio, quam Gellius elusit XVIII 6, altero „et quidam tradunt." [1])

Vidimus Servio Gellium haud quaquam fuisse neglectum. Quocirca, ubi apud utrumque eadem deprehenderimus, satis timide agendum erit, quum periculum sit, ne quando Gellii Gellium auctorem suspicemur.

c. De Nonio Marcello.

Longe difficillima quaestio de Nonio impendet. Huius enim compages licet varias doctissimorum virorum curas experta sit, etiam nunc misera iacet, tamque longe a genuina condicione dissidet, ut certi nihil ex ea colligi posse videatur. Equidem quum in aliis me adhuc dubium haerere fatear, si quid in aliis tamen momenti ex eo petam, id probe scio in dubitationem rursus vocari posse. Verum enim vero quae est harum litterarum dubia et anceps condicio, si quid ad aliquam probabilitatem duci potuerit, in eo acquiescendum; nec magis laudem meruissem, si a quaestione anxia et fallaci prorsus manus abstinuissem.

Nonio Marcello magno usui fuisse noctes Atticas, quamquam nullo loco laudavit, inter omnes constat; ambigi tantum potest, quantum iis debeat. Qua in re ne omnes vv. dd. dispersas sententias colligam, huic respondebo, qui satis accurate in eam rem inquisivit, Gerlachio in praefat. ad Nonium p. XIII-XV, ubi etiam singulos locos congessit, quibus Gellii vestigia deprehendere sibi videbatur.

Ac primum laudabo eos locos, ubi aperte Nonius nostrum ad partes vocavit. Nonius p. 335 b. Gerl. „intemperia pro in„temperantia, apud veterem auctoritatis obscurae: has eius in„temperantias in maritum." cf. Gell. I 17, 2. Hic quidem non

---

[1]) Ad eos locos, quos Gellio vindicare studui, eius tamen nomine non inscriptos, codicum discrepantiam Burmannus hanc adnotavit: Georg. III 4 (de inlaudato) omnes concinunt; Aen. X 314 (de squalenti) desunt in Regio et Vossiano; XI 476 (de matrona) desunt in Reg., Leidensi I, Voss. VI 15 (de praepetibus) desunt in Reg., Leidensi II, Voss., Lipsiensi.

compilavit nostrum, sed exemplum dictionis ex eo affert, eoque insignior locus est. Gellium appellat „veterem auctoritatis ob-„scurae.“ Similiter aliis locis, ubi Gellius fons subest, eum nominari invenimus, velut p. 4 a. s. v. peliceos (cf. Gell. IV 3, 3) „sapientes putant“ p. 299 a. s. v. die quarta „prudentis volunt, „quorum tamen auctoritas in obscuro est“, et similia alia apud Gerlach. p. XIV. Ut de his statim dicam, mihi non ita multum momenti ad cognoscendum Gellium habere videntur. Neque enim semper Gellium, ubi aperte adhibuit, hoc nomine demonstrat, neque eum solum. Audi Nonium p. 156 a. „testa..... „neutro apud obscurae auctoritatis sed summos scriptores le-„gimus.“ Plura suppeditabit Gerlachius l. l. Sed pergo ad ea, quae ex Gellio eisdem fere verbis et exemplis transscripta sunt.

Contendam exempli gratia haec:

Non p. 4 a. s. v. peliceos.	Gell. IV 3, 3.
Peliceos a Graeco vocabulo significantiam sapientes inflexam putant, quasi pellex, hoc est ut pallacis; quod si hoc non est, vana compositio hominis videri potest.	Pelex autem quasi πάλλαξ, id est quasi παλλακίς, ut pleraque alia, ita hoc quoque vocabulum de Graeco flexum est.

Praeterea quaeso conferas:

Gell.	X 24	Non.	p. 104 b.	proximi, 299 a. diequarta
„	X 26	„	p. 307 a.	transgressus.
„	X 29	„	p. 362 b.	atque.
„	XII 3	„	p. 36 b.	lictoris.
„	XII 13	„	p. 362 b.	intra.
„	XIII 3	„	p. 241 b.	necessitas.
„	XIII 10	„	p. 24 a.	fratrum.
		„	p. 36 b.	sororis.
„	XIII 17	„	p. 36 b.	humanitatem.
„	XIII 30	„	p. 37 a.	faciem.
„	XVIII 11	„	p. 91 b.	lutescit.
		„	p. 99 b.	noctescere.
		„	p. 101 b.	opuliscere.
		„	p. 128 a.	virescit.
„	XX 2	„	p. 38 b.	siticines.

Satis memorabilis etiam Gelliani loci IX 12 usus est apud Nonium p. 36 a. s. v. Infesti, p. 78 a. Formidulosum, p. 88 b. ss. vv. Infestum et Ignarum, p. 91 b. Laboriosum, p. 96 b. Metus, p. 99 a. Nescium, p. 115 a. Suspiciosum, p. 117 b. Somniculosus. Haec enim omnia ex nostro transsumpsit et ea quidem, quae Gellius exemplis probavit; cetera quae cursim adnotavit, Nonius reliquit. Sic „invidiosus", „ambitiosus", „gratiosus" desiderantur apud eum. Extremo autem hunc locum adscripsi, quia quum compilatoris negligentiae manifestum vestigium praebeat, ad sequentia traducere potest. Sallustii enim locum p. 88 b. s. v. Ignarum (cf. Gell. § 22), quum noster omisso libro laudavisset, ille temere ad Jugurtham retulit; historiarum autem fragmentum Gerlachius et Kritzius iudicaverunt. [1])

Sequuntur ii loci, ubi nostrum exscripsit, sed negligenter et perperam, IV 9 cf. Non. p. 257 b. s. v. religio. Gellius ex Nigidio religiosi significationem enarrat, addit § 3 „alterum significationis diverticulum", et locum Ciceronis adicit. Nonius l. l. hanc alteram significationem a Nigidio repetit. Possit ita quispiam cogitare, hanc quoque Gellio a Nigidio suppeditatam esse. Sed obstat, credo, locus Ciceronis, qui Gellio et Nonio communis a Nigidio tamen vix allatus fuerit. Gell. V 4, Non. p. 69 b. s. v. duodevicesimo. Hic, si ita scripsit Nonius, ut codices exhibent, in quo rei cardo verteret, parum intellexit. XII 15, Non. p. 61 b. s. v. celeratim. Nonium Gellii caput diripuisse, elucet, comparatis p. 114 b. saltuatim p. 127 b. vellicatim. Corrupit autem Gellium, quum pro „celatim" substitueret „celeratim", et praeterea locum Sisennae mutaret. XVIII 6 Non. p. 299 b. Matronae. Aperta sunt vestigia Gelliana, sed extrema misere decurtata.

Quos adhuc adscripsi locos Nonii non dubitabam a Gellio repetere. At non omnes tam expediti sunt facilesque diiudicatu. Occurrunt alii, qui re ipsa similes exemplis allatis differant,

---

[1]) Fuerunt quidem, qui Nonii fide capti cum loco quadamtenus simili Jugurthae haec verba coniungerent. Sed vd. Kritz ad Jug. XCIII 3 p. 496. Persimile negligentiae documentum, sed vv. dd. controversia insignius, alio loco Nonius edidit, de quo statim infra ad Gell. XVII 2.

alii, qui praeter similia ea quoque afferant, quae per Gellium non explicentur, alienique fontis suspicionem moveant, rursus alii, qui externa quadam similitudine memoriam revocent Gellii, auctoritatem non sapiant.

Primo generi hos adnumerabo:[1]) XVII 6 Non. p. 38 a. s. v. recepticium. Ipsa fere Gellii verba repetiit, Plautique exemplum (§ 7) transsumpsit, sed adiecit locum Ciceronis nostro non laudatum. X 24, 4 Non. p. 109 a s. v. priva: addidit alterum Lucilii locum, p. 24 a. s. v. privum: Gellii verba et exemplum invenies, sed tertium iam Lucilii versum allatum, eumque non subiunctum Gelliano, sed praemissum. Item exemplum Gellianis additum et praepositum habes:

Gell. V 21, 16 Non. p. 61 b compluries
„ XI 2 „ p. 315 b eligantes
„ XV 5 „ p. 109 b Profligare, ubi praemissum est exemplum significationis a nostro repudiatae.

Ab his iam longius discedunt duo loci, qui exempla quidem Gelliana afferunt, sed accuratius adscripta. XI 7 Non. p. 50 a. s. v. apludas p. 56 b. s. v. boviatores p. 78 b. s. v. flocces. P. 56 b. Lucilii locum a Gellio advectum (§ 9) transsumpsit, p. 50 a, Apludas a Plauto in Astraba dictum esse innuit, et addidit, incertum esse, an Plauti ea fabula esset, quae omnia ex Gellio (§ 5). Contra flocces, de quo Gellius § 6 nos ad Caecilium relegat, non additis illius verbis, Nonius p. 78 b. ipso Caecilii loco illustrat diserte apposito. Vides Nonium ab accurato examine non abhorruisse.

Simili ratione uti videtur:

Gell. XVII 2: Non. p. 61 b. s. v. copiantur, p. 70 a. ss. vv. diurnare et duritudo, p. 78 a. s. v. frunisci, p. 88 b. inlatebrare, p. 275 a. subnixum.

De hoc loco saepius iam dubitatum et disputatum est. Luculenta enim hic et diligentiae et negligentiae vestigia apparent, quae adversa fronte pugnant. Discrepat ille a Gellio primum, quod p. 61 b. exemplum ex Virgilio affert ad „aquantur“,

---

[1]) Ubi nihil aliud quam exempla proposuit, patet quam lubricum sit iudicium.

cujus nulla littera apud Gellium est. P. 78 a. Metelli locum (Gell. § 7) omisit, sed Lucilianum habet, nostro non comparatum, Novii et Claudii (Coelii) loci utrique communes. Dein, ubi auctorem his locis subiunxit, Caelium vel Coelium in primo annali laudat, non Claudium Quadrigarium, ex cuius annali primo Gellius sua hausit. Quod eo magis offendit, quia p. 275 a. s. v. subnixum locum Claudii a Gellio inceptum ipse supplevit. Oportebat igitur eum ipsum adire scriptorem; iam quomodo Coelii nomen apponere potuit? Ac Gellii Q. Claudium omnes tuentur codices, Coelium Nonii locorum consensus. Sane quidem Coelium scimus ex Gellio X 24, 6 et 7, auctorum vestigia satis anxie secutum esse, idemque de ceteris annalium scriptoribus affirmari posse videtur.[1]) Dubito tamen, an quisquam adeo presserit, nt Claudium omnes hos locos integros ex Coelio transtulisse credibile sit. Nihil igitur relictum est, quam ut errorem hunc Nonio imputemus, ei scilicet, qui locum historiarum Sallustii ad Jugurtham referret. Cuius negligentiae nostro loco alterum vestigium deprehendimus. Comparabo Gellium et Nonium:

Gellii § 3.	Non s. v. inlatebrare.
„Arma plerique abiciunt atque inermi „inlatebrant sese.“ Inlatebrant verbum poeticum visum est.	„Arma plerique abiciunt „atque inermis in latebrasse inlatebrant.“

Ubi Nonii „in latebras se inlatebrant“ ab errore quodam repetendum videtur, qui unice explicatur Gellio adhibito.

Perventum est ad eos locos, in quibus summa suspicio est praeter Gellium alieni fontis.

Tales invenimus tres continuos:

Gellii XVI 5 Non. p. 37 b. s. v. vestibula
Glii XVI 6 Non. p. 37 b. s. v. bidentes
Gellii XVI 12 Non. p, 38 a. s. v. faenus

p. 37 b. s. v. vestibula Nonius praemisit explicationem, quam apud Gellium frustra requires; a Vesta dea derivavit. Dein addidit („Invenitur etiam apud veteres doctos“) hanc, quam Gellius quasi novam protulit et satis eam sane singularem.

---

[1]) Cf. Peter progr. Tanglim. 1853 p. 4 sq.

Aegre fero, quod, quae Verrius sine dubio de vestibulo disputaverat, Festus commisit, ut deperirent, Serv. ad Aen. VI 272 Burm. inter alia haec: „Alii dicunt a Vesta dictum, per immi„nutionem, nam Vestae limen est consecratum". Praemisit autem: „Vestibulum ..... ut Varro dicit, etymologiae non ha„bet proprietatem." P. 37 b. s. v. bidentes priora nonnisi a Gellio sumere potuisse videtur. Gell. l. l. § 10 facete contra grammaticum quendam: „Ubi terrarum, quaeso te, duos solos „per naturam dentes habere ovem vidisti. Ostentum enim est „et piaculis factis procurandum." Non.: „Nam nec duos dentes „habent, et hoc quidem et genus monstri est". Addidit autem Nonius exemplum Laberii et Nigidii explicationem vocis bidental, quae Gellius non habet. Verrius autem Flaccus ea, sicuti Nonius coniunxit. Cf. Paul. Diac. p. 33 s. v. bidental: „Biden„tal dicebant quoddam templum, quod in eo bidentibus hostiis „sacrificaretur. Bidentes autem sunt oves, duos dentes longio„res ceteris habentes." Haec videlicet prope ad Nonium accedunt.

Tertius locus non minus manifestum alieni fontis indicium praebet, p. 38 a. s. v. faenus. Quae enim hic habetur comparatio optima vocis *τόκος*: „nam et graece *τόκος* dicitur „*ἀπὸ* „*τοῦ τίκτειν*, quod est parere" ex Gellio duci non potuit. Contra servavit eam Paul. Diac. p. 86 M. s. v. fenus, et Verrius fortasse, ut Gellius, e Varrone sumpsit.

Huic persimilem addo quartum locum. Gellius I 18, 4 Varronis locum posuit, quo is furem a furvo declinatum esse statuit, quia ad exercendam malam artem suam fures atra nocte abuti solerent. Miram hanc opinionem prodidit etiam Nonius p. 35 b. s. v. fures, eodem illo Varronis loco adiecto; sed superat Gellium Homeri versu „*κλέπτῃ δέ τε νυκτὸς ἀμείνω*", tam apto, ut et ipse a Varrone profectus esse et virum doctissimum in errorem induxisse videri possit.

His igitur locis apparet Nonium aut non solum Gellium aut omnino alium auctorem secutum esse. Omnino alium subesse extremis locis suspicari licet, quia carent apertis Gellii vestigiis. Priores autem duos fieri non poterit, quin ex Gellio et altero aliquo auctore conglutinatos esse dicamus.

Exhibebo denique specimina quaedam locorum, quibus

Nonius, licet cum Gellio aliquatenus concinat, alium auctorem secutus est. Quorum ambitum latius puto patere, quam Gerlachius censuit; qui vellem interdum circumspectius egisset. Exemisset enim, credo, ex numero eorum, quae in praefatione Gellio vindicabat, si rem melius considerasset, unum et alterum.

Occurrit ex. gr. „cisium". Nonius p. 61 a. s. h. v. haec: „Cisium vehiculi biroti genus. M. Tullius Philippi l. II: dele„vit in quadam caupona rell." In notis delegat nos Gerlach ad Gell. VI 11, 6. Ubi idem locus Ciceronis occurrit, sed medius in maiore, quem plane diverso consilio noster transscripsit. De cisio omnino non disputat. Unde autem Nonius cisium biroti vehiculi genus esse? Cur ex Gellio locum Ciceronis, quidni ab alio accepit? Sed res ipsa loquitur.

Non. p. 53 b. s. v. aedituor conferas cum Gellio XII 10. Hic de voce aeditimus quaerit, § 7 exemplum ponit ex Pomponii atellana Aeditimo. De verbo autem aeditumor, de quo Nonius, nihil fere addidit, si autem explicavisset, non, ut Nonius vult, ex aedibus et tueor compositum dixisset, sed verbum simplex. Praeterea Nonius locum Pomponii uno versu auctum exhibuit. Nulla igitur similitudo nisi externa; ut, quae fuit Nonii larga materia variique auctores, parum certa vestigia iudicanda sint atque exilia. Eodem modo inter Gellium XV 9 et Nonium p. 138 b. s. v. Frontem parnm intercedit similitudinis, Gerlachius tamen et hoc loco et antecedenti Gellium auctorem fuisse censet. Hic tribus exemplis rem probat, Nonius inter quinque alia unum etiam habet eorum, quae noster, nec tamen in initio neque in fine positum sed aliis immistum. Adiungam statim de simili Gellii loco. XIII 21, quum de aurium iudicio ageret, inter illa, quae et masculino et feminino genere efferrentur, posuit finem, funem, cupressum, de fretu (pro freto) deinceps agit § 15, et de similibus ut peccatu, arbitratu, tributu rell. Haec inter multa similia apud Nonium quoque obvia sunt, de fine, fune, fretu deinceps p. 138 b., sed in medio solo exemplum Gellianum; p. 132 b. s. v. cupressus idem, quod noster, affert exemplum; rursus vero p. 129 a. s. v. arbitrium et p. 156 a. s. v. tributum, quum Gellius harum formarum usum tangat tantum, Nonius exemplis demonstrat. Ita summo opere

dubito, Gellius num auctor fuerit Nonii. Si enim exempla, quae utrique communia sunt, a nostro translata esse statuamus, cur non reliqua quoque adoptavit, quum easdem voces tractaturus esset, exaggerandisque quam plurimis exemplis operam daret. Magis certe consentaneum sit, quae similia illi habent, a communi quodam fonte repetere. Neque persuasit mihi Gerlachius, p. 299 a. s. v. festìnare fontem subesse Gellium (XVI 14). Catonis enim locum, quem et ipse Gellius affert, ex quolibet auctore sumere potuit, copiosum autem illud et singulare discrimen, quo festinare et properare separavit, Gellius ei certe non suppeditavit.

Hactenus de Nonio; ceteros locos eius ubi compilavit Gellium, ubi videtur compilasse, ubi videtur quidem sed non vocavit ad partes, in ipsa disputatione de fontibus Gellii attingam. Nam quod volui, probatum esse confido, diligenti examine opus esse, ut recte iudicemus, quae a Gellio Nonius, quae ab aliis acceperit.

Simul autem finem facio eorum, quibus praefari opus videbatur. Rerum enim capita attigi. Plura autem addere vel haec pauca accuratius persequi, quum maxime vellem, per angustias et loci et temporis non licebat. Sed quantacunque sunt, etiam haec mihi mox, si in arenam descendero, firma atque expedita erunt subsidia.

De A. Gellii auctoribus grammaticis disquisitio.

Quibus causis adductus sim, ut quum antea consilium fuisset, de cunctis A. Gellii fontibus scribere, iam de solis grammaticis libellum separatim ederem, in prooemio exposui. Addere nunc debeo, qua ratione hanc divisionem instituerim. Difficilis profecto est et plena dubitationis omnis haec grammatices determinatio. Quae quoniam finibus apud veteres multo latioribus continebatur quam apud nos, non consecutus essem, quod in animum induxeram, ut laboris fines aliquantum coercerem, si, quae veteres ad artem grammaticam pertinere voluerunt, omnia admisissem. Velut antiquitates illo tempore sine dubio grammatici erant; equidem separavi, quia ad iuris scientiam proxime pertinent et saepe ab iisdem auctoribus tractantur, ab iureconsultis. Vitae poetarum et scriptorum illustrium alienae ne hae quidem a grammaticis fuerunt: mihi bene differri posse videbantur ad historica. Quae igitur ego nunc in quaestionem vocavi, ea sunt quae pertinent ad etymologiam et lexilogiam, ad scriptorum enarrationem, ad artem criticam, ad rhetoricam; [1]) denique ad antiquitatum eam partem, quae magis in explicandis vocabulis quam illustrandis institutis legibus-

[1]) Hanc non avellendam esse duxi secundum Sueton. d. ill. gramm. c. 4: „Veteres grammatici et rhetoricam docebant ac multorum de utraque „arte commentarii feruntur.“

que antiquis versatur. [1]) Atque ita quispiam has singulas grammatices partes disiunctim a me tractatum iri putarit, sicuti is, qui de historici alicujus fontibus quaestionem instituat, secundum libros vel tempora vel res actas et cum suo et cum lectoris commodo scribere soleat. Verumtamen quod illic commodissimum est, id in Gellio non sine molestia utrorumque fieri possit. Tanta enim hic saepenumero singulorum capitum varietas est, tantaeque tamen variarum rerum necessitudines, ut vel grammatica a reliquis segregare difficile sit, nedum expediat, haec ipsa rursus diffindere. Saepissime videlicet usu veniret, ut, cuius a Gellio liber uno loco laudaretur, nobis bis terve commemorandus esset. Quocirca, licet quis artis legem in operis dispositione desideret, tamen satius duxi, secundum auctores ipsos res digerere, hos quidem collocare ex ordine temporum. Ab antiquioribus ergo usque ad Gellii tempora defluat quaestio; tum eos inseram auctores, de quorum aetate adhuc dubitatur; extremo autem loco familiares Gellii et magistri iidem atque auctores recensebuntur. Si qui autem auctor non grammaticus occurrerit, ne mireris: non enim scriptores grammaticos, sed fontes grammaticos illustraturus sum, vel, si mavis, grammaticarum rerum auctores.

1. Timaeus.

Gell. XI 1: „Timaeus in historiis, quas oratione Graeca de „rebus populi Romani composuit et M. Varro in antiquitatibus „rer. hum“ e. q. s. Italiae nomen a bovibus ortum esse statuerunt. Progrediente quaestione Timaeus negligitur a Gellio, Varro autem bis praeterea occurrit § 4 et 5; unde Varronem lectum esse a Gellio intelligimus, Timaeum ut negemus, multae suspiciones persuadent. Nam e graecis auctoribus est, quorum paucis nostrum familiarius usum esse vidimus § 4, neque ipse altero loco laudatur a Gellio. Et si revera hoc loco Varro auctor fuit, quode non videtur dubitari posse, raro autem Gellius duos iuxta auctores adhibuit, vel inde, ut Timaei mentionem a Varrone repetamus, adduci possumus; eoque facilius, quia ejusdem aucto-

[1]) Cf. ex. gr. XII 3 de lictoris appellatione et origine.

ritate aliubi usus est Varro, apud Censorinum d. die nat. 2 cf. Merckl. p. 650.

2. Euclides.

I 20, 9 Euclidis mathematici definitio lineae a Gellio affertur, sine titulo tamen libri. Summam capitis Varroni vindicandam esse, perspexit Ritschelius idemque Euclidis definitionem inde transsumptam esse coniecit, quaest. Varron. p. 38 § 17. Quod mihi eo facilius probavit, quod praeter hunc locum Euclidis mentionem Gellius fecit nullam, neque multam omnino operam arti mathematicae impendit.

3. Aristarchus. 4. Crates.

Hos quoque ex Gellii auctorum numero eximendos esse demonstrabo et una tractabo, quia apud Gellium coniuncti laudantur II 25, 3 et XIV 6, 3. Altero loco XIV 6, 3 omnino non ut auctores laudantur; altero II 25, 3 probari poterit, non fuisse auctores. Nam propugnatores eos exstitisse, hunc analogiae, illum anomaliae, ex eodem loco Varronis, quem laudavit, d. ling. lat. l. VIII, noster colligere potuit. Quae Gellius Varronis exhibuit, codices illius non servarunt, sed in fine octavi libri exposita fuisse probabiliter censuit Muellerus praef. ad Varr. p. XLVI; de Aristarchi autem et Cratetis lite loquitur Varro velut VIII 68 et enarratius IX 1. Aristarcho Gellium usum esse etiam Vogelius negavit l. l. p. 14 n. 26; de Cratete nescio cur non idem iudicaverit.

5. M. Porcius Cato.

Catonem Gellio in deliciis fui se primo conspectu apparet; vix unquam de re grammatica noster disseruit, quin illum testem excitaret. At testem dico, non auctorem: exempla dictionis innumera praebuit Cato, praecepta nulla. Quod facile explicatur, quia non abhorrens ille quidem a quaestionibus grammaticis nullum certe huius artis librum confecit. Ita eum in hac auctorum enumeratione praeterissem, nisi unius loci, corrupti fortasse, ratio habenda esset. VI 10, 2 eius verba laudantur ex primo epistulicarum quaestionum. Hos Catonis libros nec alius quisquam grammaticorum nec Gellius praeterea

commemorat, quod in nostro propter ipsum illius amorem iuste miramur. Ita cum probabilitate maxima Lipsius Var. lect. III 21 restituit „Varronis". Huius epistulicarum quaestionum liber quartus a Gellio citatur XIV 7, 3; 8, 2. Inter fragmenta Varroniana hunc locum recepit edit. Bipont. p. 194, cf. Ritschl M. Rh. VI 538, not. 1, Jordan Cat. rell. p. CVIII. sq.

6. L. Accius.

Tribus locis L. Accius poeta tanquam auctor grammaticus occurrit, nec tamen auctor, credo, ipse fuit sed per alterum Gellio laudatus. Quorum unum de aetate Homeri quaerentem III 11, 4 ex consilio meo ad historica reservo: ad reliquos nunc mihi respiciendum est. III 3, 1 enumeratur inter eos, qui indices comoediarum Plauti composuerunt. Quos omnes ita laudat Gellius, ut leviter notos fortasse ei, certe non lectos fuisse appareat. Accii vero nostri indicem, quum eiusdem versus nostro capite § 9 laudati Gellio a Varrone traditi sint, apparet in eadem condicione esse. Nihil enim probabilius est, quam hos, qui de spuriis comoediis agant Plauti nomine vulgo inscriptis, ex ipso indice sumtos esse. Ne tamen de indice Plauti fabularum tanquam singulari libro cogites: aliud probare videtur loci supra dicti similitudo, III 11, 4. Qui quum argumento similis sit nostro, neque minus a Varrone videatur laudatus fuisse, qui maximam utique capitis partem Gellio praebebat et ad Accium respexit (cf. § 2), sumtus est ex primo didascalicorum Accii. Ad eosdem igitur libros et versus nostro loco et, quod idem est, indicem Plauti revocare licebit.

7. Q. Mucius Scaevola P. M.

Scaevolae auguris filius hic, egregius iureconsultus, pontifex maximus, cos. a. 659 ab u. c.

Hunc saepius auctorem Gellius laudat in rebus ad ius pertinentibus, uno etiam loco XVII 7, 3, quem propter Nigidium Figulum auctorem nunc recensebo. De quo iudicium supra iam factum est ἀποφατικόν p. 8. Omnino enim Q. Scaevolae libris non usus esse videtur Gellius. Atque in reliquis locis nunc Dirksenii me tueor auctoritate, l. l. p. 30 coll. cum nota 103; nostro autem loco idem probari exiguo labore poterit. Primum

Gellius non addidit librum Scaevolae, deinde Nigidius ei sine dubio ante oculos fuit hoc loco et princeps auctor exstitit. Eum vero ad JCtorum controversiam a Scaevola memoriae proditam respexisse ostendit Gellius § 3: „Super dubitatione hac „eorum scripsit.“ Ita supervacaneum ideoque improbabile videtur, alterum praeter Nigidium fontem statuere.

8. L. Aelius Stilo.

Cf. Sueton. d. ill. gr. c 2 et 3.

Quamquam vereor, ne quis σχέψιν meam reprehendat, tamen hunc quoque sollicitabo. Uno sane loco XVI 8, 2 de Aelio inspecto dubitari vix poterit: tam disertum noster testimonium edidit, Sed de eo quaestionem, ad philosophiam pertinentem, nunc non moveo. Qui antem ad grammaticen spectant loci, ita sunt comparati, partim ut debeat, partim ut possit ex altero derivari Aelii mentio. I 18, 2 et X 21, 2 a Varrone commemoratur, cuius ipsa verba Gellius transscripsit. XII 4, 5 ipsa laudatio: „L. Aelium Stilonem dicere solitum „ferunt“ alterum fontem indicat. cf. infra ad Varronem d. poet. Utroque priore loco a Varrone citatur, eius discipulo, quem saepissime illius auctoritate niti notum est. Vide sis d. ling. lat. V § 18, 21, 25. Ergo ubi apud Gellium cóniunctus cum Varrone obvius fuerit, merito eum ab huius testimóniis repetemus, veluti II 21, 8 (cf. ad Varronem d. l. l.) et III 3, 12, quod totum caput Varroni assignabitur p. 73. Eodem autem capite in his enumeratur, qui indices Plautinos fecerint; de quibus ad Accium dixi. Postremo autem V 21, 6, ubi inter subscriptores formae „compluria“ L. Aelius exstat, eum a Sinnio Capitone laudatum fuisse probabile est. Cf. Hertz Sinn. Cap. p. 12.

9. Aurelius Opilius.

Cf. Sueton. d. ill. gr. c. 6.

Eius comoediarum Plautinarum index laudatur III 3, 1, qui idem esse videtur ac pinax a Suetonio l. c. memoratus. Sed Gellius an eo libro usus sit, ut in reliquis indicum scriptoribus, in Aurelio quoque dubito admodum. Minus facile iudicium erit, de altero loco I 25, 19, ubi „ex primo librorum, quos Musarum

„inscripsit“ verba eius apposuit. Nisi hoc loco horum librorum non meminit noster et Varro, qui initio capitis laudatur, rursus Aurelium laudavisse videri potest. Sed affirmari nihil potest. Verrius quidem Flaccus saepe Aurelium Opilium ad partes vocavit, et libros, ut arbitror, Musarum. Sed qui nunc eius loco loquitur Paulus Diaconus, de indutiis prorsus tacet. Quam ob causam Aurelius inter auctores a Gellio adhibitos locum suum obtineat. Quod confirmari videtur longioris loci exhibiti specie genuina.

10. Volcatius Sedigitus.

Hic quoque occurrit inter auctores indicum Plautinorum, de quibus dictum est ad L. Accium. Sed causa non prorsus eadem est. Etenim servavit Gellius fragmentum etiam libri eius de poetis XV 24, in quo, ni fallor coniectura, etiam index ille exstabat. Hunc autem librum ambigi potest an Gellius habuerit ante oculos. Quum enim canonem nostrum poetarum, a libris Gellianis Sedigito datum, Plautini codices Nigidio Figulo tribuant,[1]) Ritschelius Parerg. I p. 65 et 241 a Nigidio eum repetitum esse coniecit. Quod si satis mihi probavisset, Nigidii multum lecti hic usum statuere nescio an praestaret quam ipsius Volcatii. Verum tamen multo probabilius est, quod Hertzius Nig. Fig. p. 48 proposuit, Sedigiti nomen corruptela prona abiisse in Nigidii. Neque igitur illi coniecturae locus relictus est nec ulli alii. Sed in Volcatii Sedigiti usu, nulla alia via data, acquiescendum erit. Unde superioris loci III 3, 1 condicionem non magno opere mutari puto: nam licet legerit noster Volcatii indicem, illic eum, sicut ceteros, e Varrone sumpsit.

11. Servius Claudius.

Cf. Sueton. de ill. gr. c. 2 et 3.

Claudius quidam auctor occurrit apud Gellium III 3, 1 et Servius Claudius XIII 23, 19. Illic index Plautinus, hic commentarius laudatur. Eundem utrobique significari, probabile

---

1) Nolui in enarranda hac difficultate longus esse, de qua vd. Hertz Nig. Fig. p. 47 sqq.

fit, si doctum illum Plauti existimatorem, quem bene descripsit Cicero ad fam. IX 16, 4, Servii nomen tulisse audimus. Is utrum indicem Plauti singularem ediderit, an quod probabilius videtur, maioris alicuius libri partem esse voluerit, non compertum est; ad nostrum nihil refert, quia locus ille III 3, 1 ad studium Gellii demonstrandum, ut supra diximus, parum idoneus est.[1]) Impeditior quaestio de commentarii illius usu est; quo de quibus rebus sit actum, ne conici quidem poterit. Fac enim esse hunc Servium Claudium eundem, quem Servius scholiasta interdum laudavit, quod non adeo certum est[2]): nihil inde ad cognoscendum argumentum proficimus. Serv. ad Aen. I 52 „Clodius commentariorum scriba: vasta inania, magna“ (ubi Vergilius „vasto antro“); II 229 ad Vergilii „pavor insinuat“: „Clodius scriba commentariorum: insinuem intro eam „penitus.“ Quae utraque interpretatio, ad ipsa Vergilii verba non accommodata, cogit nos de alio commentario quam Vergiliano cogitare. Atque Ritschelius Par. I 242 not. Servium nostrum Claudium non Plauti scholiastam sed glossographum fuisse arbitratus est. Unde si non locos a Servio scholiasta servatos, at fortasse Nerienis interpretationem nostro loco § 19 ex illo transsumptam ad Plauti versum (§ 11) applicatam fuisse credibile est. Restat ut quaeram, ipsone eius commentario usus sit noster. Ac totius quidem capitis fontem indagare non potui, ex quo etiam Claudii notitiam Gellium accepisse diceres. Atqui quum dicat in fine capitis: „ac ne id quidem praetermit„tendum puto“, quibus verbis ea assuere solebat[3]), quae postea addebat absoluto iam capite, ut auctorem reliqui capitis Claudium non fuisse, ita persuasum habeo non ab illo traditum esse Gellio, sed, ut res est, non nego ipsum Servium Claudium a nostro adhibitum esse.

---

[1]) Ritschelius quidem Par. I 92 not. et cum eo Mercklin p. 643 de Servio Claudio a Varrone adhibito dubitari posse censuit. Citatur tamen Claudius etiam d. ling. lat. VII 70, 106: idem autem Acci quod Titi, ut aiunt. Si aliquo modo e Varrone derivari potest, ut reliqui, derivandus est.

[2]) Separari utique debet Clodius Tuscus ad Aen. XII 657 cf. Lersch Philos. ling. vett. III 153. Sed hunc fuisse illum commentariorum scribam, fortasse recte iudicavit Merkelius prol. Ov. Fast. p. LXVI.

[3]) cf. Merckl. p. 702 sqq.

Hoc loco quam inter incertae aetatis auctores inserere malui Manilium et Hypsicraten, parum quidem notum utrumque sed praecedentibus non longe certe natu minorem. Manilius enim cum ceteris indicum Plautinorum scriptoribus laudatur III 3, 1, vetustioribus videlicet et fortasse ab ipso Varrone tractatis [1]), Hypsicrates vero auctor eiusdem fuit de l. lat. V 88.

12. Manilius.

III 3, 1 loco illo decantato occurrit ut Plautini indicis auctor. Quo de loco in L. Accio et postea ad nauseam saepe disputatum est.

13. Hypsicrates.

XVI 12, 6 a Cloatio Vero laudatus erat, non a Gellio. Itaque nostro non modo auctorem sed ne notum quidem praeterquam nomen fuisse puto. Alioquin melius eum designavisset quam „Hypsicraten quempiam grammaticum.“ —

Hucusque quos enumeravi scriptores, quia rari per annos occurrebant, facili negotio in ordinem redegi. Maioribus videlicet difficultatibus implicata erit sequentium dispositio, aequalium Varronis et deinceps Augusti imperatoris ad Asinium Gallum usque; paucorum enim aut natalis annus aut alii vitae termini certi memoriae sunt proditi. Plerorumque vero sic aetas definitur, fuisse aequales vel Varronis vel Ciceronis vel Augusti aut maiores aliquanto aut inferiores. Quos qua poteram diligentia distinguens, si quem tamen minus commode collocarim, excusari velim.

14. M. Terentius Varro.

M. Terentius Varro principem facile auctorum Gellii locum obtinet: adeo saepe ad partes vocatur, tam pure probari, tanto cum honore laudari solet. Velut I 18, 3: „Haec Varro „scripsit de ratione vocabulorum scitissime, de usu utriusque „linguae peritissime, de ipso Aelio clementissime.“ Si quando autem ei, quod rarissimum accidit, obluctatur Gellius, reverenter

---

[1]) Quem Ritschelius Par. I 241 paulo superiorem aetate fuisse Servio Claudio coniecit.

et timide facit, ut I 18, 6: „In hac re de viro tam excellentis „doctrinae non meum iudicium est.“ Quocirca si ad coniecturam redeat fontis indagatio, ad hunc paratissimum est confugium, siquidem, quem tam frequenter laudavit, mirum non est, si interdum etiam tacite auctorem secutus sit.[1])

Ac principio dicam de libris antiquitatum, et rursus prius de antiquitatibus rerum humanarum, quia has ipse Varro praeire voluit. Quarum liber de bello et pace occurrit I 25, in quo duobus locis indutias definierat. Sed quia utraque a nostro spernitur, nihil praeter has Varroni assignabimus. De Aurelio enim Opilio exeunte capite laudato, quantum quidem affirmari potest, ad hunc ipsum dictum est p. 41. L. XXI laudatur a Gellio XI 1, 5, qui locus perperam ad undevicesimum librum relatus est in edit. Bipont. p. 209; Varronis nomen sine libro legitur etiam § 1 et 4. Equidem inde ab initio capitis usque ad § 5 omnia Varronis et eiusdem libri vicesimi primi fuisse existimo. Nec turbant me, quae Festus servavit p. 142 M. „Multam Osce dici putant poenam quidem. M. Varro „ait poenam esse sed pecuniariam, de qua subtiliter in l. I „quaestionum epistulicarum refert.“ Quae facilius mihi persuadent, Varronem πολογραφώτατον duobus locis similia de multa dixisse, quam Gellium ex diversis locis caput suum consarcinavisse. Et nostri Varroniani loci vestigium nescio an altero Verrii loco appareat, quem servavit Paul. Diac. p. 144 M. s. v. maximam multam. Festus enim p. 202 s. v. ovibus trium millium aeris fuisse multam dicit, Paulus l. l., sicut Gellius, trium millium et viginti assium. L. XXV ad partes vocatus est a Gellio XVII 3, 4, qui sermoni illic narrato, si quid video, originem dedit. Certe omnia spectant ad laudandum Varronis locum, qui etiam ad Homeri versum (§ 2) respexit. Et sparti usum ex Hispania in Graeciam transiisse (§ 1), non disputantis notitia fuit sed Varronis. § 5 Varroni tribuere non audeo.

---

[1]) Quum plerumque Varro omisso praenomine laudetur, admonendus est lector, ne passim malit intelligere P. Terentium Varronem Atacinum, specioso quidem et prono errore in rebus geographicis velut X 7, 2. Atacinum Gellius aut nunquam ad partes vocavit aut a nostro separavisset.

His locis unum addam coniectura. XI, 3 Gellius de variis significationibus praepositiouís „pro" quaerit, nullo laudato auctore. Circumspicienti mihi grammaticorum similia, nihil fere occurrebat, nisi quod Priscianus l. XIV 5, 45 et ipse exemplum affert „pro testimonio." Sed insignem Festi locum adscribam, p. 246 M.: „Pro censu classis iuniorum Ser. Tullius cum „dixit in descriptione centuriarum, accipi debet in censu, ut ait „M. Varro in l. VI rerum humanarum sicuti pro aede Castoris, „pro tribunali, pro testimonio." Haec tria exempla, quae Verrius a Varrone sine dubio accepit, reperiuntur eadem apnd nostrum § 2. Et quartum commune „pro rostris" ex Paulo Diac. p. 228 s. v. pro (cf. Fest. p. 229) erui potest. Qua similitudine moveor equidem, ut Varronem hoc loco statuam ante oculos fuisse Gellio, praesertim quum tertio ante capite XI 1 eosdem libros humanarum fontem fuisse professus sit. [1])

Errore tantum irrepsit l. XIV rer. humanarum in lemma I 18, quum in contextu divinarum idem liber laudetur, Quod utique rectius. Nam et quartus decimus divinarum maxime familiaris nostro fuit, et sequens caput I 19, quod nunc longum est exponere, sed potest luculenter demonstrari, ex iisdem rerum divinarum libris petitum est.

Transeo ad antiquitates rerum divinarum.

L. XIV citatur, ut modo vidimus, I 18 § 2 et 4 et XV 30, 7, ubi ei, quae § 6 et 7 leguntur, tribuenda sunt. [2]) Eundem librum quartum decimum coniectura facili assequemur III 16, 9. Nam supra § 6, quae ad nostram rem non pertinet, diserte is liber laudatus est, cui bene conveniunt, quae de Parcis § 9 et 10 leguntur. cf. Merkel Ov. Fast. p. CLXXXV sq.

Restant duo loci, quos una commemoro XVI 16 et 17. Priore Varro auctor proditus est sine libro, altero idem in libris divinarum. Vides quare locos coniunxerim; eundem videlicet utriusque fontem demonstraturus, libros divinarum. Quoto

---

[1]) An vero Verrium Flaccum in usum vocaverit? Nulla mehercule iusta causa esset, cur ad hunc deverteremus ab eo, quem assidua lectione versabat Gellius.

[2]) Comparavit Mercklin p. 661 locum Festi p. 206 s. v. Petoritum, sed Verrio potius quam Varrone Gellium usum esse, iure non ausus est affirmare.

autem libro haec dicta fuerint, quia Gellius non prodidit, aliena indicia circumspicere cogimur. Quibus rursus ad l. XIV deducimur. Vide enim sis apud Merkelium l. l p. CLXXXVI Augustini testimonium et similia aliorum. Certiores quippe nos fecerunt, hoc libro Varronem deos a conceptione hominem usque ad mortem prosequentes enumeravisse. Superiore autem capite de Carmentibus disputat, quae hominum partui praesint, altero de Vaticano, „penes quem humanae vocis initia.“ Hunc locum etiam Merkel p. CLXXXVI inter quarti decimi libri fragmenta reposuit. Priorem qua causa ductus ad quintum decimum retulerit, non prorsus intelligo. Equidem quae c. 16 habentur apud Gellium et quae sequenti capite, eiusdem libri fuisse contendo, nec priora posterioris, posteriora prioris. [1])

Haec si probabiliter disputasse videbor, rerum divinarum nullum adhuc nisi quarti decimi libri vestigium deprehendimus. In quo mihi videtur non substitisse quidem prorsus, sed maxime versata esse Gellii opera.

De lingua latina ad Ciceronem libros non tam acri studio dignatus est quam exspectari poterat. Tres laudantur loci omni dubitatione carentes; de quarto suboritur suspicio. Trium illorum unum ad philosophiam dimitto XVI 8, 6; praeterea laudatur l. VI (§ 59) a Gellio X 21, 3 et l. VIII Gell. II 25, 5. Locus a Gellio II, 25 exhibitus nunc quidem in codicibus Varronis desideratur, sed vide Muelleri praef. XLVI. Et totum caput Gellii Varronis habendum esse supra demonstrabam § 3 a. Quae autem addidit § 10, Varronem in aliis libris multa pro analogia scripsisse, spectant ad l. IX de ling. lat. Laudatur denique M. Varro in libris de lingua latina a Gellio VI 11, 8 et verba eius adscripta sunt, quae leguntur apud Varronem X, 81. Ubi et laudatio obiter facta et locus abruptus adeo et nudus mihi scrupulum quendam iniecerunt, ita ut, si ad reliquum caput auctorem invenissem, huic libenter etiam Varronis mentionem cederem.

Dignum, de quo hic disputem, alium locum Gellii II 21 ad finem reservavi. Quem haustum esse antea arbitrabar ex ibro d. ling. lat. VII § 74. Quamquam offendebat L. Aelii men-

---

[1]) Idem Mercklinus censuit p. 670.

tio una cum Varrone a Gellio laudati § 8, quam apud Varronem frustra requirebam, quum alias Gellius non adeo levem se praebere videretur, ut auctorum nomina pro arbitrio adderet. Praeter Varronem autem eum adiisse Aelium, nec consuetudo eius commendabat, neque exiguus L. Aelii usus: dissuadebat insuper continuata secundum Varronem relatio (§ 10). Augebat suspicionem, quod de quinquatro et de opinione grammaticorum (cf. § 7) hoc Varronis loco nullam litteram invenirem, quum ea persuasum haberem ex eodem, quo reliqua, fonte fluxisse. Haec mihi perpendenti occurrit Festi locus p. 339 M. s. v. septentriones, et confirmavit magis quam depulit dubitationem. Locum longiorum veniam oro non transscribens: si comparaveris, apparebit plus cum nostro quam cum Varrone similitudinis habere. Gellius et Festus: bubus iunctis, apud Varronem desideramus; neuter idoneam glebarii comparationem a Varrone factam; Gellius et Festus: ternae proximae, Varro: ternae. Praeterea unde Verrius physicos istos, unde versum aliter quam Varronis loco citatum, unde Ennii hunc versum esse, quum Varro sileat? Equidem Varronem puto altero quodam loco, ut saepius, de eadem re similiter disputasse; ibidem Ennii versum sic, ut apud Verrium, praecisum citavisse, secum L. Aelium consentire, innuisse. Quod postremum satis credibile fit, collato loco Varronis d. ling. lat. V 20, ubi Aelius terram a terendo dictam censet. Ubi autem haec fuerint apud Varronem, quod spondeam tibi, non habeo. Quandoquidem non in astrologiae libro disciplinarum solum sed multis etiam aliis locis talia disputandi occasio fuit.

Pergo ad libros de sermone latino ad Marcellum, illis maxime affines et saepe confusos. Cuius erroris vel, si placet, negligentiae etiam Gellius accusandus est. Licet enim locum XVIII 12, 8 laudatum ab altero auctore accepisse videatur, a Valerio, ut opinor, Probo: si is negligentius citaverat, non committere debebat, ut in eodem vitio maneret.

Aliis locis melius providit.

Secundus librorum de sermone latino bis usui fuit Gellio. XII 6, ubi aenigma illud, sicut scirpi appellatio (§ 1: „hoc genus quidam e nostris veteribus scirpos appellaverunt“) Varronis habenda sint. XII 10 ubi difficile est diiudicatu, quae

Varroni debeat, quae ipse adiecerit. Nihil iuvat adire Nonium p. 53 b, qui de verbo aedituor quaerit, nihil Paul. Diac. p. 13 M. s. v. aedituus vel Charisium p. 58 P. 75, 18 Keil., qui in segregandis vocibus aedituus et aeditimus concinunt, nihil denique ipsum Varronem d. ling. lat. VII 12 et VIII 61, de re rust. I 2. Copiosius enim, quam omnes, Gellius et proculdubio etiam Varro de serm. lat. Cui nescio an praeter Ciceronis locum § 7 et fortasse Lucretii § 8 omnia tribuenda sint. Certis finibus coerceri queunt, quae ex tertio d. serm. lat. libro Gellius servavit XVI 12. Nam Cloatii locum a Varrone repetere, si liceret maxime per temporum rationem — dubitatur enim de illius aetate — nemo sanus audebit. Sic Varroni relinquuntur, quae § 7 et 8 exstant.

Quaeram oportebit de loco quodam difficiliore; cur hoc loco quaeram, mox apparebit. VI 14 Gellius de variis dicendi generibus docte disserit, § 6 M. Varro laudatur, non is quidem ut totius capitis auctor, sed ita, ut bene ei reliqua quoque conveniant, et facile, quod Gellius reticuit, coniectura suppleas, totum Gellium hic a Varronis auctoritate pendere. Nec Rutilium aut Polybium (§ 10) hoc uno loco et sine librorum titulis laudatos Varroni reddere dubito. Sed haec (§ 8—10) ad historica reservare satius duxi. De libro autem Varronis, ad quem omnia referri possint, vehementer dubitatum est. Vd. Ritschelium in quaest. Varr. p. 14 not. eundemque in M. Rh. N. VI p. 524. Priore loco ea, quae apud Gellium § 1 leguntur „quae „Graeci *χαρακτῆρας* vocant“ coniunxit cum loco Charisii p. 170 P. 189, 25 K.: „Varro sic ait in III *περὶ χαρακτήρων*“, et nisi quis de satura tripertita cogitare mallet, coniecit hunc fere libri Varroniani fuisse titulum: *περὶ χαρακτήρων*, de proprietate scriptorum, quod alterum ex Nonio p. 228 b. accivit. Sed aliter idem vir doctus iudicavit posteriore loco p. 520. Iam enim *περὶ χαρακτήρων* titulum explicandum esse ait loco Ciceronis Top. 22: „descriptio, quam Graeci *χαρακτῆρα* vocant“, ita ut Varro hominum personas eo libro descripsisse videretur; l. l. p. 524 nostrum locum ad librum de proprietate scriptorum reicere maluit vel ad libros de sermone latino, comparans rursus locum Charisii perquam idoneum p. 215 P. 241, 27 K.: „*Ἤθη*, „ut ait Varro de latino sermone libro V, nullis aliis servare

„convenit quam Titinio, Terentio, Attae; πάθη vero Trabea, in-„quit, Ątilius, Caecilius facile moverunt.“ Has exhibui Ritschelii his in rebus facile principis varias opiniones. Iudicium igitur, quum adeo fallax et incertum sit, equidem ἐπέχω; nam ex ipso Gellio nihil elicias. Siquidem de satura περὶ χαρακτήρων coniectura, per sese ipsa minus probabilis, non magnopere commendatur, quum affini loco VI 16 saturam Varronis περὶ ἐδεσμάτων invenimus.

Ventum est ad libros disciplinarum, in quibus ducem egregium nactus sum Fr. Ritschelium. Quem ubi loco omisso laudavero, intelligi volo quaestiones Varronianas, progr. Bonn. 1845. Disciplinarum libris non raro usus noster modo apertius, modo occultius indicavit; atque explicatissima laudatione X 1, 6: „Verba M. Varronis ex libro disciplinarum quinto haec sunt“ e. q. s. Quae Ritschl p. 12 ad librum de arithmetica retulit. Minus diligenter libri disciplinarum citantur XVIII 15, 2 et excerpta ex iis metrica quaedam frustula exhibentur. Metricam autem Varroni geometriae partem fuisse, ipse Gellius declarat et XVI 18, 1 et 4 et nostro loco extr.: „idque ipsum „ratione quadam geometrica fieri disserit.“ Geometriae vero Ritschl § 13 p. 31 quartum disciplinarum librum vindicavit.

His alios locos Ritschelius coniectura adiecit, solo Varronis nomine et disputationis argumento ductus. I 20 (cf. Ritschl § 17 p. 38), ubi § 4 et § 8 Varro laudatur, ita ut cum verbis eius laudatis reliqua arctissime cohaereant. Euclidis definitionem § 9 (cf. p. 8) a Varrone transvectam esse Ritschl iudicavit § 17, de Pythagorae mentione idem statuere licebit. Noli enim contrariam Varronis sententiam ab ipso Gellio servatam obicere III 10, 6: „Praeterea scribit (Varro), lunae curriculum „confici integris quater septenis diebus, ... auctoremque opi-„nionis huius Aristidem esse Samium.“ Id Varro numero septenario dedit, cuius quam plurimas potestates demonstrabat: probavit certe etiam Pythagorae sententiam, quod claro testimonio constat Favonii Eulogii, Comm. in Somn. Scip. p. 407 Orell.: „ad hunc numerum cubicum, ut Varroni placet, lunaris „cursus congruit revolutio, quae in XXVII diebus omne tanti „sideris lumen exhaurit.“ Ita sine crimine levitatis totum ca-

put Varroni reddimus; pertinere autem ad librum quartum de geometria, et ipsa res et „geometrae“ § 1 indicio sunt. Ex eodem libro de geometria sumptum esse videtur l. XVI c. 18, cf. Ritschl p. 30 et p. 37 sq. Varronis verba apposuit Gellius § 6, quae rursus ab iis, quae sine auctore praecedunt, dirimi nequeunt. „Sed haec, inquit Varro“ e. q. s. Libri autem quinti de arithmetica vestigia idem p. 13 apud nostrum III 14 indagavit. Ubi quamquam de dimidio et dimidiato disputatio tota grammatica, arithmeticae minus contigua est, tamen non dubito, quin verum viderit ille, commotus maxime alterius illius loci similitudine, quem ex eodem libro Gellius diserte petivit X 1, 6. Nam ne hic quidem numerorum magis quam emendati sermonis ratio habetur, nec nostro loco Ennii versus a Varrone laudatus offendere debet, quippe quem alterius tneatur consortium. Si autem ab exemplis scriptorum exhibendis ne his quidem in libris abhorruit, quae Gellius inde a § 10 congessit Varronis praeceptum confirmantia, fortasse ab eodem omnia profecta sunt.[1])

Denique in censum hic venit l. XVIII 14. Licet enim ne nomen quidem Varronis noster prodiderit, tamen totus assentior Ritschelio p. 30, haec ad Varronem et libros disciplinarum referenti. Nam et sequens caput ex iisdem petitum est et favent huic coniecturae Gellii verba § 2 „qui de numeris „Latine scripserunt.“ Locum explicandis hemiolio et epitrito fuisse in libro quinto de arithmetica idem statuit l. l. Aliquanto tamen post quum collato Hieronymi catalogo haec retractaret, aliter iudicari posse confessus est M. Rh. VI p. 504. Nam qui per illum demum nobis innotuerunt Varronis libri de principiis numerorum, ab his neque ea, quae ap. Gell. I 20 et XVI 18 exposita essent, nec ipsum nostrum locum alienum esse animadvertit. Revocavisset etiam ad illos omnia, nisi eos numquam, disciplinarum libros saepius laudavisset Gellius. Equi-

---

[1]) Nota dignum videtur, quod minus recte Ritschl p. 13 Prisciani locum p. 1356 P. II 401 Kr. ad libros disciplinarum retulit. Priscianus haec: „Duo asses, dussis, dupondius, tressis . . . . . centussis, post quem „numerum teste Varrone non componuntur cum asse numeri.“ Quae eo certius ad similem locum d. ling. lat. V 169 sq. spectant, quia hunc librum Priscianus paulo ante p. 393 Kr. laudavit.

dem ob eandem causam, quam puto gravissimam, in prioribus illius viri coniecturis acquiesco.

Pergo ad libros Varronis de poetis. Quorum primus laudatur I 24, 3. Trium poetarum epigrammata a Gellio exhibita sunt Naevii, Plauti, Pacuvii, ad Plauti solum Varronem testem excitavit his verbis „Epigramma Plauti, quod dubitasse„mus, an Plauti foret, nisi a M. Varrone positum esset in libro „de poetis primo.“ Haec laudatio tantum abest, solum ut Plauti epigramma a Varrone profectum esse ostendat, ut nescio quomodo etiam reliqua ex eodem fonte fluxisse innuat, neque dubito equidem, quin qui Plautinum posuit de poetis Romanorum disputans [1]), idem etiam Naevii et Pacuvii rationem habuerit. Libri primi de poetis studium apparet praeterea XVII 21, ubi § 43 ex libro primo de Ennio, § 45 ex libris de poetis (si quid video, ex eodem libro primo) de Naevio Varronis verba laudat. Quae quamquam in disputationem nunc non admittam, commemorare placuit, ut viam pararem coniecturae. XII 4 transscripsit Gellius Ennii locum ut gravem praeter ceteros et venustum, § 5 addidit: „L. Aelium Stilonem dicere solitum fe„runt, Q. Ennium de semet ipso haec scripsisse“ e. q. s. L. Aelii magistri testimonio saepe usum esse Varronem constat; de hoc igitur ultro cogitamus. Dictum vero illius per sermonem acceptum dubito hercle, an a quoquam alio quam a Varrone repetere consentaneum sit. Apparet autem, quam bene haec disputatio illis superioribus, quas ex libro primo de poetis attulimus, conveniat. Quippe quibus omnibus id egisse videatur, ut poetarum vitas moresque ex ipsorum scriptis illustraret. Quod et testantur epigrammata, vel unum saltem Plauti, et reliqui loco XVII 21, 43: „eumque (Ennium scripsit Varro) cum „septimum et sexagesimum annum haberet, duodecimum anna„lem scripsisse, idque ipsum Ennium in eodem libro dicere“ § 45: „quem (Naevium) M. Varro in libris de poetis primo „stipendia fecisse ait bello Poenico primo, idque ipsum Nae„vium dicere, in eo carmine, quod de eodem bello scripsit.“ Quibus adducor facile, ut si non totum Ennii locum — quam-

---

[1]) Ad hos solos pertinuisse libros de poetis, autumat Ritschl M. Rh. VI 515.

quam ne id quidem incredibile — at certe iudicium de eo et Aelii memoriam Varroni tribuam, libro videlicet de poetis primo.

Quaestionum Varronis epistulicarum mentio accuratissima facta est loco, qui ad antiquitates pertinet XIV 7, 3 „Varro ait in litteris, quas ad Oppianum dedit, quae sunt in „libro epistulicarum quaestionum quarto.“ Idem liber quartus occurrit XIV 8, 2 loco non minus a nobis alieno. De utroque interim conferas Merckl. p. 651. Ad grammaticen referenda sunt, quae VI 10 et II 10 leguntur. Priore loco negligentia aut Gellii aut librarii alicuius quum Catonis laudentur epistulicae quaestiones, eum quamobrem errorem habeam et optime a Lipsio correctum Var. lect. III 21, de Catone disputans explicui. Recte igitur si Lipsius haec Varroni restituit, Gellius etiam primo libro epistulicarum quaestionum usus est. Ad eosdem libros — ad unum enim certum non licebit — referre possumus II 10. Varro in epistula ad Servium Sulpicium laudatur, in qua quaerit, quid sit favisae Capitolinae. Ubi licet inscriptio illa „quaestiones epistulicae“ addita non sit, invitamur ipso argumento epistulae, ut ad illas eam referamus. De quo si quid tamen dubitaveram, hanc dubitationem mihi solvit Ritschelii assensus M. Rh. VI p. 538.[1])

Rarior etiam usus fuit librorum de imaginibus vel hebdomadum. Primus enim solus liber bis occurrit III 10 et 11. Posteriorem locum non attingam, de priore autem res tribus verbis absolvi potest. Ex libro enim primo noster totum fere caput hausit III 10. Quod indicat aut ipsa verba laudans § 2, 6, 7, aut referens certe sententiam Varronis. De suo fortasse adiecit Herodoti et Homeri opiniones § 11, cf. Merckl. p. 644.

De comoediis Plautinis liber primus citatur III 3, 9. Quem ne confunderes cum quaestionibus Plautinis, supra monui § 6 a. De toto autem loco III 3 docta Ritschelii dissertatio conferenda est Parerg. I p. 73 sqq., qui suo jure, quamvis ad singula tantum Varro auctor laudatus sit, summam totius capitis ex libro de comoediis Plautinis sumptam esse contendit.

---

[1]) Mercklinus cogitari posse censet de coniectaneis Atei Capitonis tanquam huius epistulae fonte p. 662.

Nec me iudice auctorum § 1 laudatorum quemquam alienae originis iudicare debebat, ne Servium quidem Claudium (cf. l. l. p. 92 not.).

Librorum de re rustica studium ostendunt, qui tertii libri loci laudantur apud Gellium II 20 § 1, 7, 9. Magis tamen ad appellationes rusticas cognoscendas, quam ipsam disciplinam percipiendam adhibuisse videtur.

Denique quia Ritschelii quibusdam coniecturis loco interdicere nolui, addo etiam libros:

περὶ χαρακτήρων,
de proprietate scriptorum,

de quibus velim memineris, quae disputavi p. 49. — Reliqui duo loci sunt, quos certo libro assignare non potui. IX 9, 10 „auctore enim Varrone is demum latine caper dicitur, qui excastratus est.“ Locum aliquatenus similem servavit Charisius p. 80 P. 103, 26 K. „Varro de sermone latino: iterum, ait, „ex gallo gallinaceo castrato fit capus.“ De quo coniecturam facere ad nostrum, quum in alio auctore periculosum esset, in Varrone nemo audebit. XVIII 9, 4 item Varronis sententia affertur sine libro, quem tamen an Gellius ipse in manibus habuerit, summo opere dubito. Nolo eo abuti argumento, non ipsum Gellium haec dicere, sed quem is dicentem fecerit, doctum quendam hominem. Sed a Velio Longo ibidem laudato Varronis mentionem repeto. Ad quem, vel si grammaticum nexum respicimus, ea referre possumus, vel si minus id placet — potest enim de loco iudicari bifariam — eum Varronis auctoritate se tuitum esse, ultro coniectare.

Iam subsistam in efficienda Varronianae doctrinae apud Gellium reliquae imagine; subsistam autem, non quo perfectam esse opiner, sed quia ad complendam eam auxilia nos deficiunt. Quandoquidem si omnes Varronis libros superstites fortuna voluisset, multo eam auctiorem futuram fuisse existimo.

15. P. Nigidius Figulus.

A Varrone ad neminem facilior est transitus quam ad Nigidium, sive aetatem spectamus sive dignitatem auctoritatemque. Apud Gellium si supra primarias auctoritatis partes Var-

roni cedebamus, secundum locum sibi vindicat Nigidius Figulus. cf. Gell. XIX 14; IV 16; IV 9.

Cuius maxime familiares Gellio fuerunt commentarii grammatici, quod magis, quam ipsius testimonium XII 14, 4: „cum eos non, opinor, incuriose legissemus", innumeri loci ex iis sumpti testantur. Eos iam cogam, disputatione rursus ab apertissimis deducta ad impeditiores.

Nigidius in undecimo commentariorum grammaticorum occurrit IV 9, 1. Eius verba trensscripsit noster § 2. Nec ultra hanc Nigidii auctoritas pertinere videtur, cf. quae ad Nonium disputavi p. 31. Coniungenda ceterum fortasse cum hoc loco sunt, quae III 12 sine libri numero ex Nigidio hansta sunt; utroque loco de adiectivis in „osns" agitur: nostro loco de religiosus vocabulo, versu veteris poetae adiecto, illo de bibosus, rursus cum versu Laberii. Quamquam Hertzius locos coniungere non ausus est Nig. Fig. p. 12. L. XXIII laudatur XVII 7, 4, quod totum caput ei assignandum esse p. 8 censui Dirksenium secutus. Ex l. XXIV Gellius hausit, quae XIII 26 leguntur §§ 1, 3, 4. Ad eundem librum nescio an recte revocemus, quae ex P. Nigidii commentariis grammaticis proposita sunt XIII 6, 3 „Rusticus fit sermo, si adspires perperam." Adnotavit enim Gellius utroque loco XIII 6, 1 et XIII 26, 3, quo vocabulo Nigidius *προσῳδίας* expresserit. Quo consensu id certe evincitur, quae XIII 6 legantur, solum Nigidii studium testari. Liber denique undetricesimus ad partes vocatur XX 5, § 1, 3, ex quo pronum est conicere, triginta saltem libros fuisse commentariorum Nigidii, cf. Hertz l. l. p. 10.

Transeo ad locos, quibus commentarii omisso libri numero laudantur. X 4 grandis Nigidii locus adscriptus est. Ubi si quis ex sequenti capite librum undetricesimum supplere velit, nisi argumento aliunde petito ducatur, videat ne nubem pro Junone captet. XVII 4, 11 ablegatur lector ad commentarios Nigidii, unde naturam particulae „quin" cognoscat. Qua disputatione ut longiore supersedit Gellius, postquam varias illius particulae potestates exemplis plerasque demonstravit. Me occupat suspicio omnia illa ex Nigidio sumta esse. [1]) Exempla

---

[1]) Idem censuit Merckl. p. 653.

enim hunc quoque praeceptis suis subdidisse, si per se probabile est, Gellius insuper affirmavit XVIII 4, 11: „Quos (libros „Nigidianos) requisitos ego et repertos cum primarum significationum exemplis“ e. q. s. Postremo complures locos ex commentariis grammaticis transscripsit Gellius XIX 14, § 6 sqq.

Tam frequentem iam vidimus commentariorum grammaticorum usum, ut a fide non abhorreat, eosdem intelligendos esse, et ubi commentarii Nigidii et ubi libri Nigidiani laudentur, vel etiam solus Nigidius. Verum est, praeter hos aliis quoque Nigidii libris usum esse nostrum, quos postea enumerabo, qui non minus commode commentarii, eodem prorsus iure libri Nigidiani vel nomine P. Nigidii laudari poterant. Atqui puta ceterorum cuiusque mentionem esse singularem, usum igitur multo rariorem. Illo libro ut trito multumque versato designando Gellius supersedere interdum poterat: quod iuste miraremur, si in his commisisset, quos primoribus vix labris attigit.

Commentarium Nigidianum citatur XV 3, 4, ex quo verbi „autumo“ interpretatio sumta est. Haec et quae contra Nigidium Gellius disputat § 5—8, quum redeant apud Anonymum de verbo c. 1 § 22, sed aucta una affirmandi significatione et Terentiano exemplo, cogitatio nos subit, Gellium et illum vel, si mavis, Macrobium d. diff. verb. graec. et lat. a tertio quodam auctore sua utrumque accepisse. Sed conicere facilius quam probare possis. L. VIII 14 in lemmate (notum enim est, octavi libri nil superesse nisi lemmata) P. Nigidius occurrit: „atque ibidem a P. Nigidio origines vocabulorum explicatae.“ Quae autem fuerint ea vocabula, prorsus nesciremus, nisi coniectura se offerret olim iam proposita. Cf. I. F. Gronov. et Oiselium ad Gell. XVIII 4 not. 15. Hoc enim loco vocum vanus et stolidus origines a Nigidio explicatas noster reminiscitur se iam antea noctibus Atticis intulisse. In libro tamen nobis relicto nullum vestigium conspicuum est, nisi illo in lemmate. Quodsi ad hunc locum Gellius respexisse videtur, ex eodem Nonius forsitan lucri aliquid fecerit p. 282 b. s. v. vanus, ubi huius certe significationis, qua vox illa secundum Nigidium utebatur, multa exempla affert. Cf. Serv. ad Aen. XI 715; II 80. Verba ex Nigidianis transscripta sunt IX 12, 6 de v. infestus. Gellius congessit exempla vocabulorum, quae active eadem ac

passive usurparentur. Quorum utrum plura debeat Nigidio, an ne hunc quidem locum, diiudicari non potest. Nonium vidimus p. 31 et reliqua et Nigidiana verba repetere: sed nihil is momenti habet, qui sua ex nostro hauserit. Neque ansam coniecturae praebet Servius, quum auctorem non addiderit ad Aen. IV 72; X 706, minus etiam Isidorus, qui Servium compilavit origg. X 102, X 142 Lind. — Ad commentarios grammaticos etiam Hertzius retulit (Nig. Fig. p. 46) quae Nigidius apud Gellium X 11, 2 de v. maturus disputat. Addo § 3, rei tamen potius probabilitatem, quam Servium secutus, qui ad Georg. I 260 haec tamquam Nigidii continuationem assuit, vd. supra p. 28. Restant duo loci: XI 11, ubi, quae Nigidii sint, facile discernas, et XIII 10, 4 [1]), ubi fratris veriloquium ex eo transscriptum est. Haec sunt commentariorum Nigidii fragmenta a Gellio diserte ad illum relata. Quorum tantae multitudini unum et alterum addi posse consentaneum est, ut omisso auctoris nomine a Gellio usurpatum. Qua in re multo etiam magis quam in Varrone aliorum scriptorum auxilio destituti sumus. Quippe Varronis enim libri, ut Gellius ait XIX 14, 2 in propatulo frequentique usu ferebantur, Nigidii autem non proinde in volgus exibant. Quodsi magis, quam dolemus factum esse, in Nigidii scriptis grammaticorum opera collocata fuisset, lux, credo, clarior multis Gellii locis affulgeret. Liceret fortasse de loco memorabili et, ut videtur, antiquitatis pleno II 3 certius iudicare. Ubi quae de aspiratione occurrit opinio singularis, a Varrone aliena (cf. Charisium p. 56 P. 73, 17 K.), magis videtur convenire Nigidio, qui elementorum vel maxime rationem habebat (XIX 14, 6), voces φύσει ortas statuebat (X 4, quem locum adire operae pretium est), aspirationem non neglexit (XIII 6). Fieri forsitan posset, ut „idoneos vocum antiquarum enarratores“ XVIII 6, 7 melius intelligeremus. Matronam enim a matre et omine confictam existimare, nescio an eius sit, qui frater e vocibns fere et alter conglutinaret et hanc derivandi rationem praeter ceteros sequeretur. cf. Hertz Nig. Fig. p. 20.

Eximendum de numero locorum ex ipso Nigidio trans-

---

[1]) Dubito an recte Mercklinus p. 653 hunc Nigidii locum ex Labeone altero eius capitis auctore derivarit.

scriptorum eum pato, qui legitur XIV 1, 11 „stellas istas quas „multi erraticas, P. Nigidius errones vocat.“ Nihil enim videtur nisi Varroniani loci recordatio, ex primo hebdomadum Gell. III 10, 2. Revocanda praeterea in memoriam sunt, quae ad Vulcatium Sedigitum disputavi p. 42. Et lectionis non adeo constantis assiduaeque vestigium Hertzius ostendere studuit l. l. p. 20. Etenim quum Gellius XII 14, 3 grammaticum quendam erroris arguat, quia veriloquium quoddam perperam a Nigidio repetere visus erat, aliter vir doctissimus censet eum iudicaturum fuisse, si maiorem cum Nigidio contractam habuisset familiaritatem. Ille enim „saltem“ compositum dixerat ex si et aliter, qua ratione nihil fuit Nigidio usitatius. Mercklinus minus recte totam rem a Gellii commento quodam repetit p. 689.

Ad alios Nigidii libros pergens primum offendo augurii privati l. I Gell. VII 6, 10, cui plusne debeat quam ipse indicavit, rursus in incerto relinquendum. Nihil enim valet ad hanc quaestionem Servius ad Aen. III 361, qui ad verbum cum nostro § 8 concinens Gellium auctorem prodit.

„Liber, quem de extis composuit“, laudatur XVI 6, 12. Ei apparet solam definitionem tribuendam esse § 12: „bidentes „appellari non oves solas sed omnes bimas hostias.“ Si vero quaeris, ipsumne Nigidium Gellius adierit, pendeo animi, quid dicam. Mercklinum p. 659 offendit, quod et augurii privati et de extis liber cum Hygino simul laudatur; quamquam is Hygini quoque usum finibus quam angustissimis coercere studuit Atque auguralia Nigidii studia Hygino probata fuisse, satis credi potest, nec intercederem, si quis demonstrare aliquo modo posset, Gellium Nigidii sententias utrobique ab Hygino accepisse. Attamen quum ex Gellio certi nihil elicias, neque aliorum testimonia velut Pauli Diac. p. 4 s. v. ambidens, p. 33 s. v. bidental, Servii ad Aen. IV 57 coll. c. VI 38, Nonii p. 37 b. s. v. bidentes (cf. supra ad Nonium p 33) controversiam solvere possint, in Nigidii usu subsisto.

Denique quae II 19, 26 Nigidii exstant, „Caesia dicta est, „quae a Graecis γλαυκῶπις, ut Nigidius ait, de colore caeli „quasi caelia“ ad libros de diis Hertzius coniectura retulit l. l. p. 36. Et satis apte ille quidem: nisi forte obstat, quod eos libros Gellius nusquam laudavit.

16. M. Tullius Cicero.

„Legimus“, ut ait Gellius XV 3, 1, „librum M. Ciceronis, „qui inscriptus est orator.“ Ex eo grammatica praecepta duo apud Ciceronem prope continua hausit II 17 (cf. IV 17, 6) et locum transscripsit, qui illic legitur c. 48 § 159; altero loco XV 3 uberius exposuit, quam apud Ciceronem invenies c. 47 § 158. Quibus addi potest iudicium magis quam praeceptum XIII 21, 24, apud illum c. 50 § 168. Noli autem, quia haec adeo vicina apud Ciceronem exstant, arbitrari Gellium hunc solum eius libri locum legisse; est enim singularis haec excursio quaedam grammatica: quae praecedunt et quae sequuntur, oratoris sunt.

17. Ser. Sulpicius Rufus.

Affertur VII 12 ex libro secundo de sacris detestandis testamenti veriloquium, sed repellitur. Idem accidit in eodem capite C. Trebatio, qui sacelli originem in libro de religionibus proposuerat, eodem etymologiae vitio. Trebatius hoc uno loco est obvius, Servius Sulpicius etiam aliis, sed nunquam non alicui obnoxius suspicioni. Ita non temere suspicatus est Mercklinus p. 648, Gellium utriusque opinionem per tertium quendam auctorem comperisse. Propter alterum quoddam veriloquium in quaestionem nunc venit l. IV c. 3. Siquidem pellicis etymon § 3 additum ab eodem auctore profectum est, cui prior pars capitis tribuitur, Ser. Sulpicio Rufo in libro de dotibus. Quod quum per se probabile sit, demonstrare studuit Festo comparato Mercklinus p. 666. Quod si tibi aeque ut mihi probavit, altera quaestio exoritur. Quae IV 3 et 4 apud Gellium ex Sulpicio proposita sunt, coniungere debemus. Addidit autem Gellius IV 4, 4: „Haec eadem scripsit Neratius in libro, quem de nu„ptiis composuit.“ Dubitaverunt igitur Dirksenius l. l. p. 14 not. 51 et Mercklinus p. 648 et 666, utrum ex ipso Sulpicio, an ex Neratio Gellius sua sumpserit. Ac Neratium fragmento eius constat (Dig. XII 4, 8) Ser. Sulpicii auctoritate usum esse. Neque video, quo alio modo explicari possit Sulpicii et Neratii consensus a Gellio indicatus. Nam „haec eadem“ non de extremis tantum intelligenda esse patet, sed de ipsis Sulpicii verbis, quae antecedant. Ita vv. dd. dubitationem prorsus iustam habeo nec reprehenderem, si confidentius affirmavissent.

Nemo vero l. II c. 10, ubi Gellius epistulam Varronis ad Sulpicium rescriptam et quod antea Sulpicius Varronem interrogaverat, enarrat, hanc notitiam ex Sulpicii epistula quam ex Varronis derivare malet.

18. C. Julius Caesar.

I 10, 4 e libro primo de analogia affertur praeceptum illud sermonis „ut tanquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolens verbum.“ Quod quamvis Favorinus memoriter servatum alterum recordari iubet, haud tamen a vero aberrabit, qui Gellii lectionis vestigium habebit, praesertim quum etiam libri numerus additus sit. Eiusdem libri primi de analogia usus apparet XIX 8, 3 et 7, ubi § 8 locum quendam integrum transscriptum habes. Mercklinus p. 650 coniecit, exempla Plauti et Ennii § 6 a Caesare aut a Frontone profecta esse. Sed a Caesare quominus credam prohibent verba Gellii § 6, Caesarem inimicitiam singulariter a veteribus dictam negavisse. Equidem, si quae Caesaris fuerint, certis finibus includi iubes, ad eum pertinere puto § 3 extr., § 4, § 8, § 11—13, quae extrema licet Fronto dicat, tanquam Caesaris sententiam defensurus, eius disputationis fundamentum ab ipso Caesare subditum existimo. Certe Varro, qui d. ling. lat. X § 66 et 67 alibi de hac controversia multus est et exemplo quoque quadrigae utitur, auctor non fuit, Charisius p. 19 P. 31 sqq. K. diversum fontem redolet, Servius XII 16, 4 Varronem secutus esse videtur. Una tractandi, ut opinor, reliqui duo loci sunt. Disserit Gellius IV 16 de formis quartae declinationis, IX 14 de quinta, utrobique eodem disputationis filo. In fine utriusque capitis C. Caesar laudatur IV 16, 9 „In libris quoque analogicis omnia „istiusmodi sine i littera dicenda censet“ (antea ex ipsius Caesaris libris exempla ponuntur) IX 14, 25 „Sed C. Caesar in „libro de analogia secundo huius die et huius specie dicendum „putat.“ Equidem quum Caesaris mentionem tam obiter factam et exempla Vergilii et ipsius reputo, quae ab eo proficisci non potuerunt, omnino Caesarem arbitror non ipsum a Gellio ad partes vocatum esse. Nam omnium fons qui non esse possit, nec partis fuisse videtur. Vd. quae infra dicam de Caesellio Vindice.

19. C. Aelius Gallus.

Laudatur semel in libro de significatione verborum, quae ad ius civile pertinent secundo XVI 5, 3, ita ut nec ipsa eius verba proponantur, nec legisse se Gellius testetur. Verrius Flaccus eundem librum saepe citavit, secundus occurrit ap. Fest. p. 273 s. v. Reus. Mercklinus p. 678, quum totius capitis auctorem Verrium putaret, indidem suo iure Aelium Gallum repetiit. Quorum hoc alterum tantum mihi probavit, Aelium non ipsum a Gellio inspectum esse sed laudatum ab altero, Verrio fortasse Flacco. Miramur quippe, quod is liber, qui magno usui Gellio futurus fuisset, semel laudatur. De inscriptione eius libri dubitari possit. Festus enim constanter „civile“ omisit, neque „de significatione“ sed „significationes“ exhibet; neque tamen ipse sibi satis constitit, modo brevius, modo copiosius librum laudans, nec credo „civile“ Gellium arbitrio suo adiecisse. Quare hunc sequi praestat.

20. Sinnius Capito.

Eius duae epistulae adhibitae et, sicut accurata descriptio testatur, ab ipso inspectae V 20, 2 et V 21, 9. Altera V 20, ad Clodium Tuscum data, inscripta fortasse fuit: de imparilitate. Cf. Hertz Sinn. Cap. p. 16. Hoc enim nomine Sinnius dicitur soloecismum appellasse, ideoque quae contra soloecismi vocabulum Gellius § 3—7 disputavit, non, credo, a Sinnio accepit, sed tam[illegible]mmodo § 1—2. Maiori emolumento altera fuisse videtur [illegible] ad Pacuvium Labeonem missa, cum titulo: „pluria, non [illegible] dici debere.“ Simulacra enim illa disputantium menti [illegible] Gellii, amicus iste doctus alter Sinnius est. Ac sicut [illegible] l. l. p. 12 subscriptores formae pluria § 6 a Sinnio re- [illegible] ab eodem profectam esse disputationis summam arbitror. [illegible]tiam quod Gellius § 14 addidit Sinnianae quasi opinionis [illegible]ntum, argumentum potius Sinnii fuisse iudico. Verrius [illegible]qui Sinnium saepe atque etiam in grammaticis rebus con- [illegible] cf. Fest. p. 138 b. s. v. monstrum, et ipse de adverbio [illegible]iens quaesivit, Paul. D. p. 59 M. „Compluriens a com- [illegible]s significat saepe. Cato: Contumelias mihi dixisti com- [illegible]s.“ Quod non pro argumento venderem, nisi non

„saepius“, sed „saepe“ explicasset. Eodem enim modo Sinnius pluria et compluria non comparativa esse sed simplicia iudicaverat.

Neque silentio premam similitudinem quandam, quae inter Sinnii disputationem de particula „neque“ et Gellii de „atque“ X 29 intercedit. Ad fontem Gellii indagandum grammaticorum similia nihil valent. Nam qui proxime accedit Serv. ad Aen. IV 424, cf. ad Georg. I 203, neque auctorem prodidit et distat tamen ea re, quod coniunctionem vocat disiunctivam, Gellius adverbium § 2. Sinnii autem locum Festus servavit p. 162 b. quem comparabo cum Gellio:

Gellius X 29.	Festus p. 162 b.
„Atque“ particula a grammaticis quidem coniunctio esse dicitur conexiva. Et plerumque sane coniungit verba ..... sed interdum alias quasdam potestates habet non satis notas nisi in veterum literarum tractatione et cura exercitis. Nam et pro adverbio valet, cum dicimus: aliter ego feci atque tu e. q. s.	„Nec“ coniunctionem grammatici fere dicunt esse disiunctivam, ut „nec legit“ „nec scribit“, cum si diligentius inspiciatur, ut fecit Sinnius Capito, intelligi possit, eam positam esse ab antiquis pro non (sequuntur exempla).

Sinnius Plauti et Turpilii et ex XII tabulis exempla attulerat, Gellius ex Ennio. Virgilii locum, quem scilicet Sinnius laudare non poterat, ipse indicat, postea subiunctum esse. Solebat enim, quod Mercklinus multa diligentia ostendit p[illegible]02 sqq., si quid postea addebat, talibus uti formulis, quali ho[illegible] § 4 „Et praeterea .... quoque.“ Haec coniungentem n[illegible] quis levitatis arguat: quippe comparavi, non quo certi [illegible] me crederem evicisse, sed nihil neglecturus, quo videbatu[illegible] de fontibus quaestio aliquid aliquando iuvari posse.

21. M. Tullius Tiro.

De eo princeps locus habetur XIII 9: „Tulliu[illegible] „M. Ciceronis alumnus et libertus adiutorque in litteris[illegible] „rum eius fuit.“ Hoc loco ex libro graece inscripto π[illegible] fragmentum exstat. Quod Lerschium fugit, qui Philo[illegible] Vett. III p. 46 hoc libro de adverbiis actum fuisse [illegible]

adductus ille quidem loco Charisii p. 186 P. 207, 30 K. Nostro loco adverbiorum nulla littera, atque etiam reclamat multitudinis numerus *πανδέκται*, quoniam de adverbiis singulariter tantum *πανδέκτης* dicitur, ad universum genus designandum.[1]) Argumentum libri Gellius luce clarius demonstrat § 3 „*πανδέκτας* „tanquam omne rerum atque doctrinarum genus continentis.“ Neque possum non Mercklino obloqui, qui p. 636 coll. c. p. 673 censet *πανδέκτας* partem fuisse libri inscripti: de variis atque promiscis quaestionibus, nec recte haec verba me iudice Hertzius distentis litteris exhibuit. Mihi in his omnino titulus latere non videtur. Sed voluit, ut arbitror, Gellius sic argumenta complurium librorum Tironis designare, ex quibus laudabat solum *πανδέκτας*. Iisdem forsitan adnumeremus epistulas eius, de quibus deinceps dicendum erit. Fragmentum Tironis de suculis adeo magnum et ipsis verbis relatum § 4 auctorem a Gellio lectum esse facile persuadet. Eo iustius altero loco pandectarum vestigium se deprehendisse gloriatur quispiam. X 21 Ciceronem audimus vocabulis novissimus et novissime uti noluisse. Quibuscum si comparaveris, quae apud Charisium sunt p. 186 P. 207, 30 K.: „Novissime Tiro in Pandecte non „recte ait dici adicitque, quod sua coeperit aetate id adver„bium“, a nemine libentius quam a Tirone Gellii notitiam repetas. At res non caret dubitatione, siquidem, quae § 1 et 2 apud Gellium leguntur, eidem auctori recte tribuimus. Etenim Catonem a vocabulis illis non abhorruisse, is certe non innuit, qui primo ante Christum saeculo ea orta esse diceret, eumque Flavius Caper reprehenderet (cf. Charis. l. l.) quia veterum exempla fugissent. Atque etiam, id quod Tironem vix latebat, invenitur „novissimus“ apud Ciceronem pr. Rosc. com. 11.

VI 3, 8 Tironis iudicium de oratione quadam Catonis ex epistula eius ad Axium scripta fuse enarratur, sed, ut omnia Tironis, redarguitur. Eius sententiam refert noster § 12, 34, 35 extr., 39, 40, ipsa verba laudat § 13, 16, 27—30, 35 init., 41—42. Praeterea ille Catonis locos transscripserat § 14, 16, 26, et, ut conicio, etiam quae Gellius § 36—38 posuit. Altera epistula

---

[1]) Cf. Schoemannum, virum doctissimum, quem honoris causa nomino, in indic. scholl. Gryphisw. 1860. p. 12.

Tironis occurrit X 1, 7, ex eaque affertur locus permagnus; quamquam parum ostendit, utrum de discrimine formarum tertium et tertio dixerit Tiro, an historiam solam de Cicerone arbitro narraverit. Utcunque autem existimabis, satis constat altero fragmento, Tironem in epistulis grammaticum egisse et epistularum forma ut facili et commoda usum esse ad quaestiones grammaticas. Ergo si eidem generi recte adnumerantur Tironis epistulae, cui Varronis quaestiones epistulicae, de quibus vide Ritschl M. Rh. VI 537, vel Valgii Rufi de rebus per epistulam quaesitis, haud dubito, quin eas quoque Gellius XIII 9, 2 intelligi voluerit, Tironis libros de variis atque promiscis quaestionibus memorans.

Restat locus, quem pandectisne an epistulis assignem dubius haereo. Illud fortasse praestat, quia et hoc loco et in fragmento pandectarum quaestio etymologica occurrit. XII 3 lictoris etymon a Valgio Rufo dictum probatur a Gellio, refutatur Tironis § 3. Valgius quamquam per aetatis rationem Tironem laudare potuit, tamen hic non videtur fecisse. Interiecit enim tanquam parietem inter duas opiniones Gellius: „Haec ita Valgius“.

Curae denique Tironis in emendandis libris Ciceronis collocatae mentio fit I 7, 1; XIII 21, 16; cf. XV 6, 2.

22. C. Trebatius Testa.

Hic est familiaris Ciceronis adolescens (Cic. ad fam. VII 5, 3), iureconsultus et Caesari et postea Augusto probatus. Laudatur VII 12, 5 eius liber de religionibus, in quo sacellum compositum vocabulum perperam dixerat. Cuius usum cum Mercklino in dubitationem vocavi ad Ser. Sulpicium p. 59. Referat audire etiam Pomponium, Gellii fere aequalem, enchirid. § 45 Os.: „Trebatii complures libri exstant, sed minus frequentantur.“

23. C. Asinius Pollio.

Auctor is fuit Gellio X 26 in quadam epistula, quam ad Plancum scripsit. Ubi quum de Sallustio iudicium iniquius faciat, in mentem venit Suetonii d. ill. gr. c. 10: „Asinius Pollio in libro, quo Sallustii scripta reprehendit.“ Satis

tamen erit, hunc comparavisse librum: siquidem periculosius est, ad eum epistulam nostram revocare, compositum videlicet omnem ex epistulis. Praeiudicium de hoc loco factum est p. 7; nunc mihi video disputandum esse contra Mercklinum. Enimvero quum Gellius praeter Asinium obscure etiam alios Sallustii reprehensores laudaverit: „C. Asinio Pollioni .... et quibusdam aliis C. Sallustii iniquis dignum nota visum est“, hos supra aut ubertatis cuiusdam gratia additos esse aut ex Asinio translatos iudicavi, Mercklinus autem p. 663 sq. opinatus est praeter Asinium auctores fuisse. Circumspectis igitur aliis locis, ubi vituperaretur Sallustius, in Valerium Probum I 15, 18 et T. Castricium II 27, 3 incidit, eosque fuisse Sallustii iniquos illos sibi persuasit. Ad hos simul coniectura retulit omnes locos, ubicunque aliquam reprehensionem ille apud Gellium subiit, XX 6, 14; XIII 30, 2; de tertio enim loco IV 15 statim dicam. Hanc non probo coniectandi licentiam. Nam dubium maxime est, an „quidam“ isti vere plures fuerint, neque, si minus dubium esset, similitudo locorum tanta est, ut iure coniungere videamur. Facilius assentior Mercklino ad Asinium revocanti l IV 15, quo de loco ultro feceram iudicium simile. Hunc enim si cum altero X 26 contulerimus, illico apparebit similitudo maxima. Utroque noster indignatur petulantiam istorum, qui inscite et maligne Sallustium carpserint, eorumque opiniones refutare studet, utroque illi translationibus Sallustii audacioribus offensi erant. Et ad Asinium bene quadrat § 1: „multique non mediocri ingenio viri conati sunt reprehendere.“ Ceterum Mercklinus rursus Valerium suum et Castricium indicari putat his verbis, equidem unum Asinium auctorem esse conicio, qui videlicet aliorum assensum testatus sit.

24. P. Alfenus Varus.

Iureconsultus, Servii Sulpicii discipulus, ut ait Gellius VII 5. Hoc uno loco laudatur, in libro digestorum tricesimo et quarto, coniectaneorum autem secundo; sequuntur ipsa eius verba. Quae si illum semel scripsisse consentaneum est, de libro uno eodemque sed dupliciter citato cogitandum erit. Et coniectanea illa Aufidii Namusae fuisse, quo libro quasi

corpore ille ut aliorum ICtorum ita Alfeni scripta complexus esset: opinatus est Bynkershoek Obs. VIII 1: quod temere fecisse visus est Bachio hist. iurispr. Rom. II p. 251 not. f., non sine probabilitate Zimmernio, hist. iur. priv. Rom. I p. 296. Equidem coniectanea partem quandam puto fuisse digestorum Alfeni. Lectum eum a Gellio esse, ipsa citatio plenissima fidem facit, et locus longior exhibitus § 1.

25. Antistius Labeo.

Hunc iureconsultum celeberrimum a grammaticis et in primis etymologicis studiis non abhorruisse Gellius testatur XIII 10, 1. Qui postquam librorum illius posteriorum notitiam ostendit, tunc quidem originem vocis soror affert ex libro ad edictum quarto. Neque ultra § 3 hoc loco Antistii auctoritatem pertinere puto, quamquam Mercklinus p. 653 etiam Nigidii sententiam ex eo transvectam esse censet. Si autem licet coniecturam sine testimonio proferre, redeo ad locum supra iam consideratum XVIII 6, 7. Matronae enim etymon a Nigidio non abhorrere videbatur, melius etiam conveniat Labeoni. Si enim in hunc bene cadit „antiquarum vocum enarratores“, cuius libri XXXVIII—XL posteriorum pleni erant „id „genus rerum ad enarrandam et illustrandam linguam lati„nam conducentium“ (Gell. XIII 10, 2), matronae definitio magis redolet iureconsultum quam grammaticum, et, ut ovum ovo, similis est interpretationi vocis vidua, quam habemus ex posterioribus in dig. L 16, 242: „Viduam non solum eam, quae ali„qando nupta fuisset sed eam quoque mulierem, quae virum „non habuisset, appellari ait Labeo: quia vidua sic dicta est „quasi vecors, vesanus, qui sine corde aut sanitate esset; si„militer viduam dictam esse sine duitate.“

26. C. Ateius Capito.

Labeonem excipiat, qui stabat ex adversa parte, Capito Ateius. Qui non minus, quam Labeo, grammaticas quaestiones attrectavit, eas certe, quae ad illustrandum ius pertinerent. Cf. Fest. p. 162 s. v. Nefrendes, cuius vocis significationem ratione etymologica enucleavit. Iam licebit grammaticam quaestionem ad eum referre. IV 6 Gellius de terrae motu, de hastis Martiis, de succidaneis et praecidaneis hostiis uno tenore

exposuit, nos, quae inde a § 3 leguntur, examini subicimus. Primum erit, ut Festum consulamus; qui et pro eo Paulus Diac. non semel sed saepius in explicandis vv. praecidaneus et succidaneus versatur. p. 302 a cum supplementis Muelleri: „[Succidanea hostia] appellatur quae [secundo loco caedi] tur, „quod quasi [sub priore caedatur:] quidam a suc [cedendo, non „a succi]dendo dictam [putant].“ P. D. p. 223 „Praecidanea „agna vocabatur, quae ante alias caedebatur. Item porca quae „Cereri mactabatur ab eo, qui mortuo iusta non fecisset, id „est glebam non obiecisset, quia mos erat id facere, priusquam „novas fruges gustarent.“ Cf. locum foede mutilatum Festi p. 218 a s. v. Praecidanea et p. 253 s. v. Praecidere. Haec profecto, praecipue autem, quae Paulus Diac. servavit, tam prope ad nostrum (§ 7 et 8) accedunt, ut aut Verrium Gellii aut communem utriusque fontem fuisse appareat. Atque in illam sententiam abiit Mercklin p. 701, qui omnino Verrii usum latissime patere in Gellio opinatur. Equidem videor mihi potius ad communem fontem deduci, non ad L. Cincium Fest. p. 218, qui a praecidendis frugibus praecidaneum dictum putavit, neque ad Varronem, quum quae eius similia leguntur apud Nonium p. 111 b. Gerl. „Varro d. vit. pop. Rom. l. III: „quod humatus non sit, heredi porca praecidanea suscipienda „Telluri et Cereri; aliter familia pura non est“, ea, inquam, consensum Gellii et Pauli Diac. non explicent, sed ad eum, quem in fine capiti nostri Gellius laudavit et verba ex eo attulit, Ateium Capitonem. A quo totum caput repeto. Nam primum senatusconsulti exemplum et omnem de terrae motu et hastis Martiis quaestionem a libris eius de pontificio iure aliena non fuisse, ostendit Festi locus p. 154 b. „Mun„dus, ut ait Capito Ateius in l. VII Pontificali, ter in anno „patere solet.“ Ex iisdem autem pontificalibus, quos rectius noster citavit, „de iure pontificio“, si quid video, Verrius sumpsit, quae ex Capitone de hostiis, praecipue de porcis attulit. p. 238 b. s. v. Porcam, ubi ille de porca sacrificio Cereali adhibenda loquitur (cf. Gell. § 8), ibid. s. v. Propudi, ubi rursus Capito de porco, tanquam omnis contractae religionis piamento, cf. 285 a. s. v. Rutilae canes. Ita illi loci, quos persimiles Gellio esse supra cognovimus, quam bene in Capitonem cadant,

conspicuum est. At Plauti versus § 4 a Gellio allatos ex Capitone transportari potuisse negas. Sane vero eos Gellius addere de suo poterat. Quamquam nec ab exemplis afferendis abhorruit Capito. Cf. Fest. p. 273 a. s. v. Reus „. . . . at Capito „Actus [1]) in eadem opinione est, sed exemplo adiuvat interpre„tationem.“ Vd. Macr. Sat. I 14, 5 ubi persuasum habeo, Capitonem ad muniendam anni originem ipsum Catonis exemplo usum fuisse. Quo fit, ut quae ille tanquam sua ultro flagitare videtur, laudatus videlicet a Gellio quadamtenus auctor, nos bona fide ei addicere possimus. — Alterum fortasse librorum de iure pontificio vestigium reliquum est XVI 6, 13 „id scri„ptum invenimus in commentariis quibusdam ad ius pontificum „pertinentibus.“ Quae ad Ateium refero, quia, cui melius tribuam, non habeo. Occurrit quidem bis apud Gellium I 12, 14 et X 15 liber primus Fabii Pictoris sine titulo libri, quem ex Macrob. Sat. III 2, 11 cf. § 3 suppleas „iuris pontificii.“ Sed horum librorum usus aut nullus erat Gellio aut minus certe frequens, quam Capitonis.[2]) — Denique grammaticae rei auctor Ateius exstitit XX 2, ubi Gellio vocab. siticines interpretatus est, in coniectaneis. Cf. Dirks. l. l. p. 38 not. 29.

27. C. Valgius Rufus.

Hic est Horatii familiaris, cui carmen ille secundi libri nonum inscripsit, grammaticus idem ac poeta, cos. suff. 742 a. u. c.

Laudatur XII 3 in secundo librorum quos inscripsit de rebus per epistulam quaesitis, quae inscriptio egregie confirmatur duobus Charisii locis p. 84 P. 108, 28 K; p. 109 P. 135, 23 K., et libri naturam manifesto declarat. Ei quae tribuenda sint, facile dinoscas, una § 1. De Tironis enim opinione subiecta disputavi ad hunc. Cf. Unger de Valg. Rufi poem. p. 163 sqq.

28. M. Verrius Flaccus.

Quum Festi quae supersunt et Pauli Diaconi excerpta multis locis cum Gellio concinant fere aut easdem moveant

---

[1]) Iam Ursinus coniecit Ateius, cf. Muellerum ad h. l

[2]) X 15, ubi multa ex eo sumpsisse videtur et testatur § 1 lectionem, sequitur Masurii sententia § 18, quem JCtum plurimum tractavit. Dirks. l. l. p. 39 sqq.

quaestiones, Mercklinus p. 701 (cf. p. 660) Gellium ex Verrio permulta sumpsisse statuit, et tabulam proposuit locorum similium, quae primo obtutu praeclare videtur eius opinionem probare. At tamen ego iactatis multum et comparatis reliquiis Verrii non possum non dissentire. Ac primum ne te decipi patiaris locorum similium multitudine. Quippe quos non eo consilio vir doctus congessisse videatur, ubique ut Verrii usum demonstraret: sed voluit, quod ipse innuit, componere Gellii et illorum omnino similia. Subtractis vero locis, ubi Gellius ipse alium auctorem prodidit, si tamen restare numerus sat magnus et speciosus videtur: saepenumero hercle Verrius et Gellius tacite eodem auctore usi sunt, veluti Varrone, quod supra mihi visum est in Capitone quoque accidisse. Neque supersedit Mercklinus comparandis iis locis, inter quos externa tantum similitudo intercedit, ex. gr. V 4 Gellius de rara forma quaerit „duo et vicesimo", Paul. Diac. p. 67 s. v. Duodeviginti, hanc solam e graeco sermone derivat. Talibus autem locis ut circumspecte et considerate agatur non minus in Verrio Flacco opus erit quam in quovis alio. Nam, ut paucis absolvam, quae me movent, ut Verrii Flacci usum haud ita frequentem fuisse putem, haec sunt: laudatur Verrius Flaccus omnino sexies, quum quidem a Gellio tam saepe auctores laudentur, ut loci, ubi tacite adhibiti sunt, non fere excedere debeant eorum numerum (videlicet non certum dico numerum, sed aequalem quandam mensuram), ubi additum nomen est. Ubi vero citatur Verrius, laudum, quibus alios extulit Gellius, nulla exstat littera; immo eum ita compellavit quodam loco, ut, licet aliquantum dederit suae sententiae illi opponendae, non ita magno in honore eum habuisse videatur, XVII 6, 4 „Cum pace", inquit, „cumque venia istorum, si qui sunt, qui Verrii Flacci auctoritate „capiuntur, dictum hoc sit." Ita nisi in oculos cadat Gellii et Verrii similitudo, non ad eum confugiam, nec praetermisi, quin, quae ille protulit cum nostro communia, si accepit ab aliquo, qui idem apud Gellium auctor occurrit, huic potius quam Verrio vindicarem.[1])

Ac diserte quidem Gellius libros de significatu verbo-

---

[1]) Paulo alia ratio est librorum de obscuris Catonis, de quibus infra.

rum in partes vocavit V 17 et V 18, utrobique quartum librum. Quorum posterior tantum ad nos, agit enim de discrimine historiae et annalium. Verrio assignavit ipse Gellius § 1 et 2, nos addimus coniectura § 6 et 7 et fortasse etiam locos Sempronii § 8 et 9. Conferendus erit, quia Festus et Paul. Diac. nos deficiunt, inprimis Isidorus. Qui in Origg. I c. 40 § 1 Lind.-Otto haec: „Historia est narratio rei gestae, per quam ea, „quae in praeterito facta sunt, dinoscuntur. Dicta autem „Graece historia ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, id est a videre vel cogno„scere. Apud veteres enim nemo historiam conscribebat, nisi „is, qui interfuisset et ea, quae scribenda essent, vidisset.“ En habes ea fere, quae Gellius § 1 et 2 ex Verrio affert. Isidorus autem Verrium Flaccum laudat XIV 8, 33 et in manibus eum aut Festum habuisse iudicatur a Muellero praef. ad Fest. p. XV; cum levitate autem eum in excerpendis auctoribus versatum esse monuit Dirksen Verrii Flacci et Fest. Pomp. fontes iur. Rom. p. 11 not. 33. Quo fit, ut dubitari vix queat, quin hoc loco Isidorus Verrium compilarit. Nunc vero apud eundem Isidorum etiam ea redeunt, quae apud Gellium sunt § 6 et 7. Isid. I c. 43, § 1: „Genus historiae triplex est. Ephe„meris namque appellatur unius diei gestio. Hoc apud nos „diarium vocatur.“ Audi eundem § 4: „Historia autem mul„torum annorum vel temporum est, cuius diligentia annui com„mentarii in libris delati sunt. Inter historiam autem et an„nales hoc interest, quod historia est eorum temporum, quae „vidimus, annales vero sunt eorum annorum, quos aetas nostra „non novit. Unde Sallustius ex historialibus, Eusebius et Hie„ronymus ex annalibus et historia constant.“ Haec nisi forte ex ipso Gellio sumpta sint, a nullo alio quam a Verrio profecta esse videantur. Accedit vero tertius testis, molestus ille quidem primo conspectu, unice tamen ad quaestionem dirimendam idoneus. Ap. Serv. ad Aen. I 373 haec sunt: „Historia est „eorum temporum, quae vel vidimus vel videre potuimus, dicta „ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν i. e. videre, annales autem sunt eorum tem„porum, quae aetas nostra non novit. Unde Sallustius ex hi„storia, Livius ex historia et annalibus constat.“ Et infra: ‚cuius diligentiae annuos commentarios in octoginta libros ve-

„teres retulerunt." Isidorum constat multa a Servio accepisse; haec igitur, quum ad verbum concinant, ex nullo alio fonte derivari iure videntur. Nihilo autem secius aliter sentio. Servius primum ita disserit, ut auctoris sui ipsa verba ponat („hoc interest: Historia est" et infra: „ita autem annales „conficiebantur: tabulam .... Pont. Max. habuit)." Unde concentus Isidori et Servii non iam offendit. Ex Servio autem non explicatur Isidori ἐφημερίς, et quod addit: „hoc „apud nos diarium vocatur." Ex Gellio rursus non habet illa, quae eadem Servius. Conglutinatos autem esse ab eo Gellium et Servium, longissime abest a fide. Sic redeo ad coniecturam supra prolatam, et sicut Gellium ita et Isidorum et Servium arbitror ex Verrio hausisse. De locis autem Sempronii (Gell. § 8 et 9) coniectura eodem Isidori loco nititur. De diario enim et ephemeride si Verriana habenda sunt, non credo ea Verrium protulisse sine loco Asellionis, qui immo toti quaestioni ansam dare potuerat: „Annales tantummodo, quod „factum quoque anno gestum sit, ea demonstrabant, id est „quasi qui diarium scribunt, quam Graeci ἐφημερίδα vocant." Verum est, in iis quae hodieque exstant Verrii Flacci reliquiis, Sempronii mentionem non fieri. Quod nescio an potius misero illo fato, quo maxima ingentis operis pars periit, quam Verrii culpa acciderit. Si autem animadvertit Mercklinus p. 704 not., Asellionem apud Gellium in additamentis tantum obvium esse, hoc loco, quae ex eo sunt, quamvis in fine collocata sint, cum praecedentibus tamen arctissime cohaerent, neque adnexa sunt addendi quadam formula, quales collegit Merckl. p. 702 sqq. — Ex quarto haec libro Gellius laudavit. Quem Muellerus praef. ad Fest. p. XXX eorum quartum fuisse statuit, qui incepissent ab A littera, Lachmannus autem d. die Alliensi p. 4 ad litteram D retulit, cui nuper assensus est Merckl. p. 666. Hic quae disputavit, mihi probavit omnia, nisi quod non iustam movisse videtur suspicionem de loco altero Sempronii § 9. Quae mira est doctissimi viri dubitatio. Qui enim de diario agens historiae et annalium discrimen explicare potuit, Asellionis locum de annalibus cur non idem adiecerit?

Praeterea Verrius Flaccus solo nomine laudatur XVIII 7, 5, sed cum dubitatione quadam: „Misit autem paulo post

„(Domitius Insanus) Favorino librum, quem promiserat, — „Verrii, opinor, Flacci erat —“ e. q. s. Ideo Mueller ad Fest. p. XVI, haec ad libros de significatu verb. quamvis, solum si argumentum spectas, valde convenientia referre non ausus est. Neque enim, ut ille vult, dubitasset Gellius, cuiusnam liber esset, si de significatu verborum fuisset. At primum incertum est, an noster ipsum Verrium hic in manibus habuerit, quoniam non Favorinus misit Gellio, in quo fefellerunt virum doctissimum oculi, sed Domitius Favorino. Deinde haec verba: „Verrii, opinor, Flacci erat“, non ostendunt, Gellium de noti libri auctore dubitasse sed significant eius aut minorem rei curam aut labentem memoriam. Equidem hercle magis an Verrii fuerit liber, quam si eius revera fuit, quinam fuerit, dubito. Fragmentum denique Verrii de vario usu v. contio intra § 5 includitur; exempla enim, ut Gellius ait, in eo libro scripta non erant.

Sequuntur loci coniectura vindicandi Verrio, quibus addam eos, qui consentiunt saltem cum Festi naufragiis. Festus p. 158 a s. v. Mille urbium, disputat, ut apparet ex laceris reliquiis, de mille singulariter pronuntiato; nam contulit Graecum sermonem χιλι-ὰς πόλεων. p. 153 b s. v. Mille, quaestionem iterat, de qua etiam minus reliquum est. In his restituendis Festi editores iure ad Gell. I 16 respexerunt, qui multa exempla collegit, ubi mille cum verbo singulari coniungeretur, et ipse comparans graecum χιλιάς. Quin etiam posterior locus Festi olim multo similior erat nostro, ita ut ab Ursino restitutus erat. Quod admonere nos debet, magis cum vv. dd. coniecturis quam Festi verbis rem esse. Iudicium certum in re incerta nemo exspectabit. Item concinunt Gellius II 6, 20 et Festus p. 329 b.

Gellius.	Festus, Pauli ope restitutus.
Squalere enim dictum a squamarum crebritate asperitateque, quae in serpentium pisciumve coriis visuntur.	[Squalidum in] cultum et sord[idum, ait Verrius significare, sic dic]tum, quod proxime [ad similitudinem squamae pi]scium accedit, [certe eorum, qui in profunditate ab]diti paludum squ[alent maxime].

Haec sane similitudo haud negligenda est, et Verrium

auctorem Gellii fuisse, pro certo affirmarem, si quae eodem capite Vergilii contra Cornutum defendit noster, eorum quoque vestigia in Verrio deprehenderem. Quod secus est. — Multo confidentius iudicare licet de Gell. VII 5, 2 sqq., cf. Merckl. p. 661. Quaerit Gellius de vv. putum et putare. Quas quum Varro quoque attigerit, hic primus conferendus erit, de ling. lat. VI 63 M. Ubi multa sane similia cum Gellio, alia autem, quae Gellius non habet, exstant, desiderantur alia, quae sunt apud nostrum. Ille arbores putari dicit, noster arbores et vites, et quae Gellius de verbo putare (existimandi significatione) et de argento puto, frustra apud Varronem requires. Multo similius disserit Paul. Diac. p. 216 (cf. p. 108) „Putus antiqui dicebant, „pro puro, unde putatae vites et arbores, quod decisis impedi„mentis remanerent purae; aurum quoque putatum dici solet, „id est expurgatum et ratio purgata (putata?), id est pura „facta.“ Festum p. 217 b. mutilum non transscribo. Mueller ad h. l. etiam Nonium p. 18 s. v. putus citavit, et iure, opinor. Nam quum exempla ab eo allata sint non Gelliana, Gelliana (§ 10) neglecta, et in reliquis similis magis quam propria Gellii imago reddita, ex Verrio potius quam ex Gellio hausisse videri debet. Sed ut huic rei fidem deneges, in iis quoque, quae relicta sunt Pauli et Festi, sat multa inveniuntur cum nostro contigua, maximi etiam cum Mercklino communem Alexandri Ennianae mentionem pendo (cf. Fest. l. l. Gell. § 10). [1])

Gellius XV 9 frontem masculine a veteribus dictam notavit, adhibuit Caecilii locum et § 5 duos Catonis. Quorum posterior „recto fronte“ redit apud Festum p. 286 b. „*Recto „fronte ceteros sequi si norit*, Cato in dissertatione consulatus [2]).

---

[1]) Roeper Philol. IX 2, p. 245 not 17, sicut ego antea illius ignarus, coniungere voluit etiam Prometheum a Nonio l. c. laudatum et *δὶς παῖδες οἱ γέροντες* satiram Varronis a Gellio § 10 adscriptam Sed obstat titulorum ratio satirarum, „qua prior solet esse nomen aut proverbium vel graecum vel latinum, alter omnino graecus, qui praepositione *περὶ* argumentum indicat.“

[2]) Haec oratio, post reditum ex Hispania habita, ad quintum librum originum pertinet, Gellius autem locum, secundum codd. reg. et Voss. ma i. ex primo affert. Attamen quintum librum codices deteriores quidem, sed haud spernendi servarunt. Cf. Gronov. ad h. l. et var. lect. a Iordano l. l. p. 26 allatam.

„antiquae id consuetudinis fuit, ut cum ait Ennius quoque „*a stirpe supremo* et *Ilia dia nepos* et *lupus feta* et *nulla* „*metus*. Etiam in commentariis pontificalium frequenter est „*hic ovis* et *haec agnus* ac † porcus, quae non ut vitia, sed „ut antiquam consuetudinem testantia debemus accipere." At parum momenti, inquies, unum exemplum commune habet. Lacunam argumentationis rursus explebit Nonius. Nam quas voces in comparationem vocavit Verrius, eas praeter unam omnes cum iisdem exemplis apud Nonium quoque reperies; p. 145 a. s. v. Metus ex Ennio affert „ni metus ulla tenet", quod idem videtur atque Verrii „nulla metus", p. 146 a s. v. Nepos „Ilia da nepos" ex Ennio, p. 154 a s. v. Stirpem inter alia etiam Ennianum „a stirpe supremo." Nunc autem idem p. 138 b. s. v. Frontem, ubi Gerlach Gellii usum odoratus est, affert ille quidem etiam locum, quem Gellius, Caecilianum, sed medium inter alios. Catonianos locos Gellii non habet, sed pro iis alium ex Catone d. re milit., Ita Festus, si me audis, locum Verrii, ut solebat, naviter decurtavit, et Ennii locos, quos reliquit, ex magna exemplorum multitudine elegit; quem thesaurum et Gellius compilavisse et Nonius videntur. — Praeterea Verrii usum apud Gellium XVI 5 suspicatus est Mercklin p. 678. Atque Aelii Galli locum § 3, supra, quum de eo dicerem, conieci non ex ipso transscriptum esse, sed acceptum a tertio quodam: quem circumspiciens ad Verrium etiam atque etiam trahebar, Aelii Galli perquam studiosum. Quae suspicio mea nunc Mercklini coniectura valde confirmaretur, nisi eandem pridem obversatam animo iam abiciendam esse vidissem. De particula ve nostro loco §. 5—7 similiter autem V 12, 9 et 10 disputat Gellius, quae coniungenda sunt. Verum est, easdem voces, quae a nostro tangantur, Vediovis, vescus, vesanus, vecors, vegrandis, occurrere etiam apud Festum Paulumve. Cf. Fest. p. 372 b. s. v. vegrande P. D. p. 373, p. 368 s. v. vescus, ubi etiam Lucreti[i] locum a Gellio indicatum (§ 7) affert. p. 379 s. v. vesculi. Haec omnia Mercklini opinionem iuvant; si autem rem melius consideramus, Verrius duas particulae significationes agnovit, τοῦ male et minuendi vim. Fest. p. 372 b. „Vegrande signi„ficare alii aiunt male grande; ut vecors, vesanus, mali cordis „maleque sanus: alii parvum minutum, ut quum dicimus ve-

„grande frumentum“ e. q. s. Contra Gellius constanter utroque loco et augendi et minuendi vim demonstrat; sic Verrius Veiovem putabat esse Iovem parvum, Gellius Iovem, qui non Iupiter sit i. e. non adiutor. Accedit testimonium Gellii non spernendum XVI 5, 4: „Sed quae scripta legi, ea ferme „omnia inconcinna atque absurda visa sunt; quod Sulpi„cium autem Apollinarem memini dicere ... huiuscemodi est.“ Neque ut exornaret orationem, haec Apollinari tribuit, alioquin eum loquentem ipsum fecisset. Id igitur quum reputo et similitudinem illam, quantacunque est, Verrii et Gellii, hoc libenter Mercklino dederim, nostrum Verrianae disputationis non ignarum fuisse, ex qua fortasse sumpsit etiam Aelii Galli sententiam; eius tamen, quam ipse sequebatur, opinionis non Verrius auctor fuit, sed Sulpicius Apollinaris. — Verbo digna videtur etiam Merkelii coniectura, ad Ov. Fast. p. LXVI proposita. Censet enim Gellium XIII 6, 20, innuentem, ante Augustum neminem dixisse „barbarismus“, respicere ad Verrium, qui id dederit apud Fest. p. 153 s. v. Metaplasticos. Quod nimis mihi confidenter dictum videtur. Neque enim fuit hoc Verrii singulare, sed commune cum reliquis aetatis eius grammaticis. Si autem e multis eligendus est unus, non Verrius, quia solus relictus nobis est, ideo superare suffragiis ceteros debet.

Transeo ad libros Verrii de obscuris Catonis. Hi uno tantum loco laudantur sed ita, ut familiares Gellio fuisse appareat. XVII 6, praemisso Catonis loco § 1, quum de recepticio servo dubitari coeptum esset, „libri statim quaesiti allatique sunt Verrii Flacci „de obscuris Catonis.“ Et exhibetur ex libro secundo integer locus (§ 3). Adeo igitur pronum nostro si erat illos libros accire, saepius iis usus sit. Ac duobus locis accidit mihi, ut quas pridem adnotatas haberem coniecturas, Mercklinus p. 660 praeriperet; tertium autem et quartum addidit idem vir doctus, quos absque illo alterum, quia me fugerat, alterum ob dubitationem praeteriissem.

Omisso libro Verrius citatur XVI 14, 3. Exorsus noster a loco Catonis, in quo, qua re properare et festinare differant, quaeritur, ad Verrium Flaccum transit, eiusque opinioni spretae suam opponit. Haec est profecto superioris loci, ubi „de obscuris Catonis“ libri laudantur, deminuta quaedam imago, et

unusquisque, credo, instituta comparatione, hunc locum ad eosdem libros referet. Contra Muellerum p. XV ad Fest. secus iudicantem feliciter iam Mercklinus l. l. disputavit. — VI 13 Gellius de classicis quaerit in Catonis quodam loco. Sicut autem de recepticio in eadem oratione Catonis Verrium consuluit, ad eundem hic confugerit. Certe classici non minus quam recepticii vestigia reliqua sunt apud Paul. D. p. 113: „Infra classem significantur, qui minore summa quam centum et viginti „millium aeris censi sunt.“ Quod autem Gellius habet centum et viginti quinque, in numeris nulla codicum fides est, et Mueller ad Paul. h. l. coniecit excidisse „quinque.“ — Mercklinus l. l. cum Gellio X 3, 18 sq. comparavit Pauli haec p. 31: „Brutiani „dicebantur, qui officia servilia magistratibus praestabant, eo „quod hi primum se Hannibali tradiderunt et cum eo perseverarunt usque dum recederet de Italia.“ Quia autem similia a Gellio per occasionem loci Catoniani enarrantur, e libris Verrii de obscuris Catonis derivavit. Equidem quum simillima priora exempla recordor, nihil dubito, doctissimi viri sententiae adstipulari. — Pendeo autem animi, num verum viderit idem XVIII 9, ubi Verrii esse iudicavit, quae usque ad § 3 legantur. Sane enim quaestio hic quoque proficiscitur a loco quodam Catonis, et transit similiter prorsus: „Insequenda, quid esset, „quaeri coeptum.“ Atque etiam Enniani versus: „Inseque, „Musa“ rell. respectum habuit Verrius, quod ostendit Paulus p. 111: „Inseque apud Ennium dic, insexit dixerit.“ Verum introspicienti penitus omnis haec similitudo dilabitur. Verrius inseque interpretatus est dic, grammaticus autem, quem dicentem fecit Gellius, perge dicere, a verbo insequi declinans. Immo contra illum qui disputat, Velius Longus, eam, in quam Verrius abiit, sententiam probare studet § 4. Velium autem ad partes a Gellio vocatum esse, non negavit Merklin, nec potuit a Verrio multis annis superiore adhiberi. Ennii autem versus non possumus tantum, sed cogimur ex eodem Velio Longo repetere his Gellii verbis § 4 „Velio Longo, qui ... scripserit, „non inseque apud Ennium legendum, sed insece“ e. q. s. Relinquitur ergo unus Catonis locus Verrio, quo ut argumento uti non possis.

29. C. Iulius Hyginus.

Cf. Suet. d. ill. gr. c. 20. Eius „commentaria, quae in Vergilium fecit“ laudantur I 21, 2. Existimat de loco quodam Georgicon ita, ut ex libro, qui erat ex domo Vergilii, veram lectionem restituat. Et virorum doctorum consensum ipse Hyginus testatus sit § 3. — Hyginus „in quarto librorum, quos „de Vergilio fecit“ citatur XVI 6, 11. Quos cum Graefenhanio Hist. phil. IV 279 et Mercklino p. 659 non diversos esse arbitror a commentariis in Vergilium.[1]) Verba Hygini ipsa transscripsit noster § 15, neque plura ei vindicare audeo. Servii enim loco ad Aen. IV 57, quo et Hygini et Nigidii sententiam coniunxit neutro citato, abuti mihi viderer, ex eo si ab Hygino laudatum esse Nigidium colligerem. Quamquam non firmior est ratio, qua Merckl. l. l., quia nostro loco et VII 6 Nigidius et Hyginus coniuncti occurrunt, tertium quendam utroque loco eundem auctorem statuit. — Saepius praeterea nude citatur Hyginus, ubi quum de Vergilii versibus iudicium faciat, sine periculo eadem commentaria intelligemus: V 8 ubi Vergilium erroris arguit, sed ipse a Gellio reprehenditur, VII 6, ubi arcessit inscitiae in usurpando vocabulo praepetes. Quem locum Hygini Mercklin, ut modo dictum est, non ex ipso sumptum esse, sed ex Sulpicio Apollinari coniecit. Denique reprehendit Hyginus Vergilium multis nominibus X 16, Gellius tres locos Hygini ad sextum librum Aeneidos pertinentes congessit § 1, 11, 14. His addo ex schedis meis VI 20, 1, quem locum, ad quem aptius referam, non invenio. Agitur enim de privato quodam odio Vergilii in Nolanos, quorum nomen, quum antea recitatum et editum fuerit Georg. II 224, post mutatum esse ab ipso poeta ob denegatum aliquod beneficium; quod Gellius „scriptum“, inquit, „in quodam commentario inveni.“ Vergiliani commentarii auctor occurrit apud Gellium Cornutus quoque, sed uno tantum loco. Ac vero haec notitia de secundis curis Vergilii multo melius, quam in Cornutum, cadit in eum, qui aequalis poetae erat, et librum ex familia eius habebat. Et

---

[1]) Immo genuinum titulum habeo: de Vergilio, qui loco accuratiore occurrit XVI 6, cum numero libri. Cf. quae ad Cornutum dicam.

Hygino, licet polyhistori magis quam criticae artis studioso, tamen hanc quoque in Vergilio cordi fuisse, ostendit Gellius I 21, 2; X 16, 1 et 11. — Eandem ob causam probo, quod Mercklinus l. l. p. 659 apud Gell. XVII 6 Hygini vestigia quaedam relicta esse ratus est. Loquitur Favorinus de versibus Vergilii, quos poeta morte subita correptus parum elimatos reliquerit, correxisset autem, si diutius licuisset vivere. Sed contentus ero, si aliquid ad hunc locum momenti habuisse Hyginum probaverim, singula ei assignare nulla ratione licebit. — Obiter denique commemorabo suspicionem quandam, quae tamen externo magis argumento quam ex re ipsa petito nititur. Vidimus Gellium I 21 Hygini iudicium de versu quodam Georgicon afferre: num insequenti capite § 12 et 13 verbi superesse usum in versibus eiusdem carminis singularem ex eodem Hygino notaverit? — Postremo impugnanda est Mercklini opinio illi similis, qua Sallustii obtrectatorum praeter Asinium Pollionem alios quosdam Gellii auctores fuisse statuebat. II 6 Gellius ita incipit: „Nonnulli grammatici aetatis superioris, in quibus est „Cornutus Annaeus, haud sane indocti neque ignobiles, qui com„mentaria in Vergilium composuerunt, reprehendunt“ e. q. s. Sequuntur autem tria verba, quae iis displicuisse dicuntur: Mercklinus Gellio hic etiam Hyginum ante oculos fuisse opinatur. Qui vellem sententiam apertius demonstrasset. Num igitur consentiebant Hyginus et Cornutus in tribus his vocibus sollicitandis ita, ut quae aetate superior castigaverat, eadem alter vituperaret, illius ignarus? Parum vero id credibile. An distribuamus singula? Nempe ubivis utitur Gellius numero multitudinis § 1, 2, 3 „reprehendunt“, „putant“ § 4 „culpaverunt.“ Mihi rursus noster aut pleniore ore locutus esse aut, quos fortasse Cornutus laudaverat, auctores, eosdem ipse innuisse videtur. — A temeritate vero non longe abest, alio loco quod Cornutum et Hyginum auctores subesse coniecit. X 29, 4 „quod „in his Vergilii versibus existimatur obscure et insequenter par„ticula ista (atque) posita esse.“ Quum enim animadverteret, reprehendi plerumque Vergilium ab Hygino et Cornuto, hoc loco, ut ad eos recurreret, sola illa improbatione commotus est. Isto modo omnia ad fontem revocari possunt: rectene an secus ipse viderit.

30. C. Asinins Gallus.

Filius is est Asinii Pollionis et studiorum illius assecla, cos. 746 a. u. c. Semel laudatur XVII 1 „ita nonnulli ... ex„stiterunt, in quibus sunt Gallus Asinius et Largius Licinus „(Licinius libri), cuius liber etiam fertur infando titulo Cicero„mastix, ut scribere ausi sint, M. Ciceronem parum integre ... „locutum.“ Quod deinde Ciceroni obicitur de verbo paenitere, duo coniuncti loquuntur § 5 „existimant“, „dicunt“ § 6, 8 „inquiunt.“ Quomodo de talibus locis iudicem, saepius dixi. Quia credi vix potest, eandem sententiam iisdem argumentis in suo utrumque libro persecutum esse, aut alteruter alterum auctorem prodidit, aut cognovit Gellius ex tertio quodam utriusque sententiam. Quorum posterius minus commendatur copiosa relatione tantum non ipsis verbis facta. Ita vero uter altero auctore usus sit, ex temporum ordine colligi nequit, quia de Largii Licini aetate parum compertum est, sed ansam praebet, quod alterius tantum librum nominavit Largii Licini. Quem credo in Ciceromastige innuisse, secum consentire Asinium Gallum. Cui rei si quis fidem non habeat, Galli Asinii libri, quibus patrem et Ciceronem comparabat, laudantur a Plinio epp. VII 4. cf. Quint. Inst. Or. XII 1, 22.

31. Masurius Sabinus.

Iureconsultus celeberrimus Tiberii atque etiam Neronis aetate et segregandus a Caelio Sabino iuniore. Eius locus nunc in censum venit IV 9, 8 ex commentariis eius, quos de indigenis composuit, v. religiosus origo et interpretatio. Ac toti quidem capiti unum fontem, ex quo etiam Masurii mentionem derivarem, indagare non potui, neque est cur huius scriptoris multum versati sententiam Gellius non ab ipso acceperit, praesertim quum paulo ante eius vestigia conspicua sint IV 1 et 2, § 13—15. cf. Dirks. p. 17 sqq. p. 25 sq. Sed ab alia parte haec an Masurii sint, in controversia posuit Macrobius, qui eandem prorsus interpretationem ad Ser. Sulpicium retulit Sat. III 3, 8. Quae ex Gellio et negligenter quidem eum abstulisse, parum probabile est, quia praeter hanc religiosi definitionem nihil habent contigui, Macrobius autem capita fere integra ex

nostro sumere solet. Neque eandem sententiam et Ser. Sulpicium et postea illius nescium Masurium edidisse dignius fide est. Ita auctoritate hoc loco praestare videtur Macrobius, et Gellius, quum in Masurio Sulpicii interpretationem cum maiore fortasse eius loco exhibitam legeret [1]), veri auctoris oblitus substituisse eum, ex cuius libro ea sumebat.

32. L. Annaeus Seneca.

Epistulas morales Gellius semel citavit XII 2, tam quidem explicate tamque aperte, ut, quin ipse legerit Senecam, dubium non sit. Nam et plenissime libri titulum exhibuit § 3: „In libro XXII epistularum moralium", et maiores locos et multos transsumpsit. Quos omnes ex eadem epistula esse, quum nos in deperdito libro affirmare non possimus, Gellius satis declaravit. Lepide autem illud dictum § 13, cuius simillima apud Senecam saepe occurrunt vel. Epp. mor. I 2, 6 (Haase), per ora ferebatur, ut Gellius indicat: „Audias tamen commemorari ac referri pauca quaedam, quae idem ipse Seneca dixerit;" a Favorino Gellium accepisse cogitarit quispiam, collatis iis quae in eandem fere sententiam ille disputat IX 8, 4, affirmari autem nequit. Praeter hunc locum Senecae neque Gellius meminit, neque ego, quod ad grammaticen pertineat, vestigium deprehendi. Nec mirum id, quum ille deriserit, quos Gellius pio animo colebat scriptores, ut Ennium et Ciceronem. Quare dubito, num Gellius I 10 quae a Seneca sumpsisse visus est Carrioni ad h. l., revera ei debeat. Relegat nos ille ad Senecam ep. 114, 13: „Multi ex alieno saeculo petunt verba, duodecim tabulas loquuntur. Gracchus illis et Crassus et Curio nimis culti et recentes sunt, ad Appium usque et ad Coruncanium redeunt." Sunt sane Seneca et Gellius aliquatenus similes, Coruncanium communem habent; in aliis autem discedunt. Neque enim solum perstringuntur ii apud Gellium, qui antiquitatis speciem sermone captant, sed lepide etiam admonentur, ut factis potius et moribus se praestent pristinae simplicitatis amatores. Ita si de auctore ageretur a Gellio magis

---

[1]) Sulpicium Masurius laudavisse videtur apud Gell. IV 1, 20, quod caput totum Dirks. p. 17 sqq. probabiliter tribuit Masurio.

trito, obversatum nostro eius locum fuisse non infitias irem; in Seneca ut statuam non adduci possum.

33. Annaeus Cornutus.

Grammaticus idem ac philosophus Stoicorum disciplinae addictus, Persii Flacci magister et „dulcis amicus“ (Sat. V 23). Commentaria in Vergilium composuit, ut Gellius testatnr II 6, quorum Charisius bis decimum laudat p. 100 P. 125, 26 K. „Annaeus Cornutus ad Italicum de Vergilio libro X“; p. 102 P. 127, 19 K. „L. Annaeus Cornutus in Maronis commentariis Aeneidos X.“ Quibus ex locis si libri titulus constituendus est, apparet statim nullam vim habere alterum, quem Maronis nomen negligentiae cuiusdam convincit. Neque vero Cornutum in sola Aeneide operam collocasse, inde quis colliget: Gellius enim laudat eum ad Bucol. VI 75, ad Georg. III 4 (cf. Serv. ad Georg. I 277): neque de Aeneide libros separatim editos fuisse ab his, qui ad Bucolica et Georgica pertinebant. Multo plus fidei habere debemus alteri laudationi „Annaeus Cornutus ad „Italicum de Vergilio libro X“ [1]), et plus etiam, ut arbitror, quam Gellii „commentariis.“ Primum enim Gellius omnino titulum libri non edidit Cornuti, sed loquitur summatim de iis qui commentaria in Vergilium composuerint. Quo quamquam ad Cornutum potissimum respicit, tamen minorem tituli curam ostendit. Contra Charisio anxio plenae inscriptionis adeo, ut etiam, cui inscriptus fuerit liber, addiderit, verisimile est etiam curae fuisse, ut ipsa verba exhiberet. Itaque si mecum non „commentaria in Vergilium“ sed „de Vergilio“ libros inscriptos fuisse statuas, indidem apparet aliquid momenti ad Hyginum redundare, in quo similis controversia occurrebat. Equidem Hyginum et eius fortasse exemplo Cornutum „de Vergilio“ scripsisse opinor. Tres commemorat Gellius reprehensiones Vergilii § 1 et 2, 3, 4, quas equidem omnes Cornuto tribuam, Mercklin p. 659 nescio quo pacto dispertiri vult inter Cornutum, Hyginum, alios. Contra eum disputavi ad Hyginum; ibidem

---

[1]) Ex Suringario hist. crit. schol. lat. II p. 121 novi, De Martinium in libro de Cornuto Ludg. Bat. 1825 p. 96 intellexisse haec de epistula ad Sil. Italic. missa. At eam aliter, credo, citavisset Charisius.

de altero loco X 29, 4, quem ad Cornutum idem vir doctus referre conatus est, et de tertio VI 20, qui non prorsus ab eo alienus videtur, iudicatum est. Reliquus unus locus est, ubi Cornuti liber citatur de figuris sententiarum secundus IX 10, 5. Quod ex eo fragmentum Gellius servavit, male perpendit Graefenhan l. l. IV p. 197, inde scilicet probaturus, Cornutum insolitas voces Vergilii aliorumque data opera impugnasse. Non unam vocem reprehendit Cornutus, sed secundum libri inscriptionem figuram quandam Vergilii. Pudicam enim illam descriptionem, qua poeta Volcani et Veneris complexus ostendit, Cornuto visa erat turbare membrorum mentio (Aen. VIII 40, 4). Quo fit, ut melius rhetoricae disciplinae quam grammaticae adscribi videantur libri de figuris sententiarum.

34. M. Valerius Probus.

De eo vide Suet. d. ill. gr. c. 24. Res enim nobis est cum uno illo Valerio Probo Berytio, quem quia Suetonius in fine libelli collocavit, ipsius aetati proximum fuisse vitamque ad Domitianum usque produxisse probabile est. Cf. O. Iahn Prol. ad Pers. p. CXXXVIII, Bergk in act. diurn. antiq. 1845 p. 125.

Apud Gellium quae Probi sententiae occurrunt, partim ex libris eius haustae sunt, partim narrantur a familiaribus Probi vel discipulis. Ac de illis primo dicendum erit. IV 7 Gellius postquam praefatus est haec: „Valerius Probus grammaticus „inter suam aetatem praestanti scientia fuit“, laudat epistulam eius ad Marcellum, ex eaque affert praeceptum de pronuntiandis Punicis nominibus. Ennii quoque versum, quem subiecit Gellius, debere se Probo fatetur § 4, quin etiam miratur solius Ennii unum versum ab eo appositum esse. De epistulis Probi nihil tradidit Suetonius aut alius quisquam; incertum enim est, an ille epistulas quoque comprehendere voluerit his verbis l. l. „Nimis pauca et exigua de quibusdam minutis quae„stionibus edidit.“ Quae licet nihil affirment, vetant tamen ne multa eum epistularum volumina confecisse dicamus. Siquidem ab his diversae sunt observationes sermonis antiqui, quarum non mediocrem silvam, si eundem Suetonium sequimur, reliquit, non edidit vivus. Videtur autem soluta epistolarum forma usus esse, sicut ante eum Varro, Valgius Rufus alii, ut variis quae-

stiunculis idoneum locum adipisceretur. Maiore cum probabilitate minutis, ut ait Suetonius, quaestionibus licet adnumerare Probi commentarium de occulta litterarum significatione in epistularum C. Caesaris scriptura, a Gellio XVII 9, 5 laudatum. Qui quamvis satis curiose factus dicatur, ipso argumento infra angustos fines continebatur. Versabatur enim in explicanda clandestina scriptura [1]), qua Caesar in epistulis usus erat, ne quando infelici casu consilia sua in vulgus prodirent. Gellius ex commentario Probi notitiam eorum hauserit, quae § 1—5 narrat. Etenim quae de occulta scriptura aliorum sequuntur, sine testimonio ad eum referre non audeo, quamquam bene ea tali quaestioni praemitti potuerunt. Quae enim Probi relicta sunt, omnia ostendunt virum prae ceteris gravem, astrictum, pressum, a qualibet fusa disputatione alienum.

Venio ad Valerii Probi commentationes XV 30, 5. Quas omnino recte Iahnius et sobrio iudicio l. l. p. CXXXIX cum Suetonii verbis extremis coniunxit: „Reliquit autem non „mediocrem silvam observationum sermonis antiqui.“ Nec obstat Bergkii sententia l. l. p. 129. Is enim si suo iure admonuit nos, opposita esse apud Suetonium verba „edidit“ et „reliquit“, „edidit“ de libris a vivo Probo editis, alterum de postumis dictum esse, non ideo minus probabilem Iahnii sententiam iudicare debuit. Nam editas esse post mortem auctoris observationes ne Bergkius quidem, si recte eius mentem cepi, negare voluit: titulum autem commentationum, si forte in inchoato opere mirabatur vir doctissimus, quidni Gellius ultro addiderit? Neque enim de inscriptione librorum disertum testimonium edidit: et quod iis imposuit nomen, a tituli demonstratione alienum est. Cf. Gell. XVIII 4, 11 et quae de citandi ratione dixi p. 17. Equidem puto Valerium Probum reliquisse varias de sermone antiquo quaestiones, easque mortuo auctore una editas Gellium communi nomine commentationum amplexum esse. Nostro loco nullam ex iis attulit sententiam; immo alter quam § 4 excitavit, petorritum compositum esse ex rota et πέτομαι, nec invenisse se nec inveniri posse dicit § 5, quum

[1]) Recte hunc libellum neque ad notas criticorum neque ad Tironianas notas, compendia scilicet litterarum, pertinere vidit Bergk l.l. p. 113.

„multos admodum commentationum libros acquisierit.[1]) Sed maiori, credo, usui aliis locis fuerunt.

VI 9 quaerit Gellius de perfectis cum reduplicatione, et exemplorum silva ex Ennio, Plauto, Atta, Nigidio, Laberio aliis congesta demonstrat, veteres non primam verbi vocalem duplicem posuisse, sed e littera immissa primam consonantem, non momordi, sed memordi dixisse. In comparationem vocatur Graecorum sermo, qui eodem modo *γέγραφα, πεποίηκα* extulerint. Atque auctoris sui nomen non prodidit, nisi in transcursu § 11 et 12: „Aelium quoque Tuberonem libro ad Oppium scripto *oc-*„*cecurrerit* dixisse, Probus annotavit et haec eius verba po-„suit: *Si generalis species occurrerit.* Idem Probus Vale-„rium Antiatem libro historiarum XXII *spesponderant* scripsisse „annotavit verbaque eius haec posuit“ e. q. s. Similia alii quoque grammatici habent, velut Diomedes 360 P. 364 K.; qui Probum auctorem laudat 364, 30; 365, 19 K., de quo vd. Keil in eleganti praefatione p. LII. Sed unum referat audire Priscianum in libro X. Ubi Probus multis locis occurrit, §§ 7, 11, 21, 38, 45, 46, 49, § 52 autem in fine disputationis laudatur eius liber de dubio perfecto. § 21, ubi cum vetustioribus Capro, Pollione, Plinio coniunctus exstat, Osann in symbol. ad hist. litt. Graec. et Rom. II p. 211 intellexit Berytium; eundem Iahn Prol. Pers. p. CXXXIX. not. § 7, ubi eum comitantur Asper, Charisius, Diomedes. De reliquis locis dubitaverunt. Equidem collato Gellio nullus iam dubito Hertzium sequi, Prisciani bene gnarum, qui ad l. V 45 p. 171 eundem Berytium omnibus locis, et auctorem quoque libri de dubio perfecto intelligendum esse censuit. Cf. Graefenh. l. l. IV p. 171 sq. Si quis vero obiecerit, inter Gellii locum et Prisciani, quod ad tenorem et filum disputationis, exiguam intercedere similitudinem: id quum concedam, facile explicari video. Nam nec unum Probum ad partes vocavit Priscianus neque omnino adiisse ipsum videtur, sed eius quae tradidit, ab aliis, Flavio Capro maxime, accepisse. Cf. O. Iahn et inprimis Hertz ll. ll. Accedit, quod Gellius non minus quam Prisciani auctores ex amplis Probi

---

[1]) Quod rem, si similibus affirmare possemus, in dubitationem non adduceret.

thesauris partem tantum delibasse iudicandi sunt. Veluti formae memordi et compositorum quum Priscianus rationem nullam habeat, Gellius septem exempla affert § 2—8, frequentiorum autem verborum ut curro, posco similium singula § 9—12, nulla, credo, alia de causa, quam quia taedium eum ceperat enumerandi. Intentiore rursus animo § 16 posuit duo exempla formae scicidi, cuius apud Priscianum X 24, p. 517 Hertz. quattuor transsumpta invenimus, eademque duo, quae Gellius ex sotadicis L. Accii et Melanippa Ennii. Quae Iac. Gronovio in nota ad h. l. Priscianus visus est a Gellio accepisse, nos, quia ita quattuor exempla disposita sunt, ut alterum secundo, alterum quarto loco inveniatur, ex communi fonte, Valerio Probo, derivamus. Quum autem haec testimonio quodam Probo assignare possimus, aliam partem ipse Gellius tribuerit, reliqua omnia, quoniam ab his commode nequeunt dirimi, Valerio Probo merito reddimus [1]; atque etiam ea, quae § 13 et 14 de graecis verbis exstant, quae quidem cum dubitatione quadam iam Graefenh. IV 172 not. 21 Probo tribuit. Atque inprimis exempla mirari non possumus quod multa Gellius sine auctore transscripserit: quippe quae potius diligentia quam ingenio comparentur neque eius, qui congessit, tam propria sint quam sententiae cogitationesque. In quis autem Probus laudatur, animadvertas eum et accurate librum cum ipso numero citavisse et sedulo locum adscripsisse integrum. Quum denique quae apud Priscianum sunt similia, e libro Probi de dubio perfecto petita sint, ex eodem Gellius hausisse recte visus est Graefenhanio IV 172, hunc autem libellum partem fuisse existimo observationum vel commentationum. Bene enim cadit in frustula haec dissoluta Suetonii „silva observationum sermonis antiqui“, et verbum „annotavit“, quod constanter Probo tribuit Gellius § 11 et 12, confirmare videtur eam coniecturam [2]: ut quod solutiorem illam et laxiorem consuetudinem demonstret congerentis materiam, non digerentis.

---

[1]) Ex. gr. alterum locum Valerii Antiatis Probus suppeditavit § 12, alterum § 9 Gellius sine auctore posuit.

[2]) Quod critici erat adnotare (cf. Suet. l. l. 24) σημειοῦσθαι, ab hoc loco apparet alienum esse.

Pergo ad alterum locum illi, de quo dixi, ipsa specie simillimum. Iterum auctoris loco loquuntur innumera exempla, omnia fere illa quidem ex antiquioribus ducta; quaerit autem Gellius de verbis communibus XV 13. Nec dissimilis rursus haec quaestio est ei, quam Diomedes instituit p. 394 P. 400 K. duce, ut Keilius iudicavit praef. LIV, Valerio Probo. Multo tamen magis, quam Diomedes, Priscianus cum Gellio convenit l. VIII § 15 sqq. § 25 [1]). Qui pleraque ea verba affert, quae noster, et duo iisdem exemplis probat, § 20 (cf. Gell. § 10) Vergiliano: „cursusque dabit venerata sacerdos" et § 25 (cf. Gell. § 8) Sallustiano: „Igitur venditis proscriptorum bonis „aut dilargitis." In fine vero huius disputationis § 26 haec addidit: „sed et eorum et superiorum omnium usus tam apud „Caprum quam Plinium et Probum invenies." Ubi rursus Probum maiorem intelligendum esse patet ex coniunctis vetustioribus. Ipsa autem laudatione significabat Priscianus, se Capro potissimum niti, Caprum autem auctores adhibuisse Plinium et Probum. Iam si nihil aliud, id certe ex Prisciano colligi potest, Probum Berytium de verbis communibus disseruisse. Quum vero noster locus et ille, quem Probo maiore veri specie vindicabamus, similitudine maxima coniuncti sint, et huius commentationes ex loco vicino XV 30 Gellio familiares fuisse sciamus, hunc quoque nescio an rectius quam Probo tribuamus nemini. Accedit vero haud exiguus Gellii et Prisciani concentus. — Porro sequere me unum gradum ad eiusdem libri caput quintum decimum: rursus Valerii Probi apparent vestigia. Diomedes p. 373 P. 377, 21 K., quem locum Keilius iis vicinis addere poterat, quos praef. p. LII ad Probum collato Prisciano

---

[1]) Utor Gell. § 1, Prisc. § 15 (abutor)
vereor „ ibid. „ ibid.
hortor „ ibid. „ ibid.
consolor „ ibid. „ ibid.
testor „ ibid. „ § 25
miseritum est § 9 „ § 25
dignor „ § 10 „ § 25
veneror „ ibid. „ § 20
confiteor „ ibid. „ § 21
antestor „ § 11 „ § 16.

referebat, de verbo pando haec: „Sunt quaedam verba, r littera „terminata ex diversa positione derivata, quae eadem sortiuntur „perfecta, ut *pandor*, *panderis*; exigebat analogia, ut *pansus* „dicamus, sed *passus* dicimus ut Vergilius *crinibus Iliades* „*passis* item *patior*, *pateris*, *passus sum*.“ Illud „exigebat analogia“ valde redolet Valerium Probum, qui e Cratetis partibus stabat dabatque in explicando sermone plus usui consuetudinique quam legi certae. Audi nunc Priscianum l. X § 27 p. 519, 21, eodem igitur in libro, quem supra vidimus refertum esse Valerii Probi reliquiis: „*Cedo* etiam *cessum* et *pando pas-* „*sum* faciunt, quamvis etiam a *patior* et a *pateo passum* dici- „mus, unde Vergilius in III: *At pater Anchises passis de litore* „*palmis*; idem in I: *Crinibus Iliades passis peplumque ferebant*.“ Priscianum haec non ab ipso Diomede accepisse, inde intelligitur, quod nec praecedentia nec sequentia cum illo concinunt, et verbi pateo mentionem et versum priorem Vergilii frustra apud Diomedem requires. Illi igitur videntur ex communi fonte, Valerio Probo, hausisse, et si noster eadem exempla proferret, idem statim de eo affirmarem. Nunc res lubrica est. Quamquam enim ceteroquin omnes inter se similes sunt (cf. Gell. § 1 „Ab eo, quod est *pando*, *passum* veteres dixerunt, „*non pansum*“ et in lemmate: „*Passis velis* et *passis mani-* „*bus* dixisse veteres, non a verbo suo, quod est *patior*, sed „ab alieno, quod est *pando*“) et cogitari possit, illos Vergilii versus ut promptiores elegisse, nostrum antiqua captantem Plauti et Caecilii, haec tamen argumenta parum firma esse dices ad coniecturam muniendam. Sed opem laturus est Nonius p. 252 a. s. v. Passum (cf. 252 b. s. v. Passum). Is enim alterum Gellii exemplum affert ex Caecilio ductum. Alioquin neque in verbis simile quidquam, nec alterum Gellii exemplum invenitur, contra alia quattuor, quorum in Gellio nulla littera. Quum vero ex his unum illud sit, quod et Diomedes et Priscianus ll. ll. habent, deinde ex Terentio quoddam, quod videtur etiam Gellius indicare, quum dicat § 3: „Capillo quoque „esse mulier passo dicitur“ (Terentii locus: „capillus passus, „nudus pes, ipsa horrida“), non dubito quin Gellio et Nonio idem atque Diomedi et Prisciano auctor fuerit Valerius Probus Berytius in observationibus antiqui sermonis. — Iam dum no-

stri libri caput 13 et 15 ad eundem auctorem revocare studemus, medium relinquimus orbatum c. 14. Quod eidem Valerio Probo tribuere, si aliquo iure liceret, ab ipsa vicinitate apparet fore commendatum. Atqui externis quidem testimoniis causa agi nunc non potest, quia Priscianus et Diomedes nos silentio destituunt. Nonius p. 75 b. s. v. exigor exilia tantum affert, quae documento esse in neutram partem possunt. Internum autem rei argumentum et quasi filum si putamus, vinculo quodam haec coniuncta sunt cum iis, quae in antecedenti capite exponebantur. Si enim illud tibi parum simile videatur, quod nostro loco de verbo exigor personaliter usurpato quaeritur, c. 13 § 9 de forma quae contra consuetudinem sine personae demonstratione posita sit „veritum est", recurras oportet ad Priscianum, qui l. VIII § 24 p. 391, 24 H. cum illis coniunxit quaestionem de structuris „doceor rhetoricam", „moneor iustitiam". Rursus vero exempla nostro loco ex antiquioribus petita sunt Metello Numidico et Caecilio, et graecae dictionis comparatio *εἰσεπράξατό με ἀργύριον* non aliena videtur a Probo, si recte ei supra tribui VI 9, § 13.[1]) Ita probe intelligo horum gravissimum esse argumentum illud ex vicinitate petitum; neque tamen id ipsum vile putandum est, neque reliqua nullius momenti. — Strictius quam haec cum illo loco XV c. 13 cohaerent, quae Gellius de verbis agentibus passivorum loco positis XVIII 12 disputavit, et hoc loco si ullo alio vestigium exstat ordinis a Gellio dedita opera mutati, de quo vd. Mercklin. p. 705. Exorsus enim sic est: „Id quoque habitum est in „oratione facienda elegantiae genus, ut pro verbis habentibus „patiendi figuram agentia ponerent." Unde si quis exspectat, in antecedenti capite de elegantia aliqua sermonis agi, fallitur. Immo spectant haec aperte ad alteram illam commutationem, qua antiqui deponentia, quae vocantur, activa significatione usurpabant. Iam ad quem devertam, vides, ad Valerium Probum. Atque Priscianus l. VIII § 25 sqq. similem quaestionem e su-

---

[1]) Fortasse apud Priscianum quoque graecae interpretationes Probi habendae sunt, l. VIII § 15 sqq. „auxiliatus *βοηθηθείς*", adulati *κολακευθέντες*."

periori nectens cum nostro rarius convenit.[1]) Memorabile vero Servii testimonium est ad Aen. I 194: „*Partitur* Sallustius ait: „*Provincias inter se partiverant.* Nam et partio et partior „dicimus et est verbum de his, quae quum utramque recipiant „declinationem pro nostra voluntate, activae tamen sunt signi-„ficationis ut punio, punior, fabrico, fabricor, labo labor; quam-„quam tentaverit Probus facere differentiam inter activam et „passivam significationem, ut dicamus (recte Suring. l. l. II 19 „coni. dicimus) tondeo alterum tondeor ab altero.“ Burmannus h. l. relegat nos ad Probi iunioris locum Cathol. p. 1483 P. Qui licet quadamtenus consentiat cum Servio, illius tamen differentiae nihil habet: „Dicimus et partior sub eodem intel-„lectu activitatis vel verbi communis partior“ rell. Ad eum igitur, quem nunc in manibus tenemus, Probum Servius non respexerit. De contractis autem vel decurtatis huius libris res admodum incerta est. Atque mihi arridet maxime Bergkii sententia l. l. p. 123 not., qui omnia, quae Servius Probi nomine inscripsit, antiquiori tribuit: multa enim certe, dubitari non potest, quin Valerio Probo Berytio adscribenda sint. Consensus autem ille Servii et Probi iunioris facile explicatur, si Graefenhanium sequimur, qui Probi opera reliquias varie mutatas quidem et in brevius contractas Berytii habendas esse prudenter iudicat IV 77. Quodsi igitur Valerius Probus apud Servium intelligendus est, multum profecimus. At nullum, inquies, eorum verborum, de quibus Gellius agit, Servius attigit. Sane vero istam difficultatem solvet Nonius. Qui p. 317 sqq. de contrariis generibus verborum agens Gellii exemplum Plautinum § 5 praeter multa alia habet p. 319 a. s. v. Contempla. Gellius exin § 10 adnotavit assentior pro assentio, Nonius p. 319 a. exemplum affert s. v. assensit; eodem modo noster sacrificor et sacrifico, pigneror et pignero iuxta inveniri innuit § 10, Nonius exemplis probat p. 325 a. et 326 b. Quae autem Servius laudavit verba, uno excepto rursus Nonius exemplis demonstrat s. v. partior p. 321 a., 323 a.; s. v. punior p. 320 b.,

---

[1]) Contemplor Gell. § 2 Prisc. § 25
muneror „ § 10 „ § 29
pigneror „ ibid. „ ibid.
assentior „ ibid. „ § 32.

326 a.; s. v. fabricor p. 320 b. Quare in eam trahor suspicionem, magnam partem Probi observationum in Nonii farraginem transiisse. Nemini enim facile, quae ille congesserat, acceptiora quam Nonio fuerunt. Apud Gellium vero Valerium Probum subesse, praeterea persuadet eadem illa multitudo et antiquitas exemplorum, quae solutius enumerantur.

Commemorabo denique hoc loco quaestionem quandam, quamvis timide. IV 17 de littera i agitur, eiusque in verbis obicio, conicio similibus vi producendi antecedentem syllabam. Grammatici agnoscentes quidem illam i litterae naturam, ipsam causam non multum curaverunt, sed vice consonantis interdum fungi eam asseverant. Quorum sententiae etiam is, qui similitudine proxime abest a Gellio, adhaeret Servius ad Aen. IV 459. Gellius autem causam productionis esse i geminam docet § 7 et 12. Quam doctrinam Probus apud Serv. Aen. I 1 innuit, quem locum Berytio recte vindicavit Bergkius l. l. p. 123 not.: „Probus ait Troiam, Graios et Aiax non debere per unam „i scribi.“ Et Bergk si contra Osannum, qui ad iuniorem haec retulit, monuit, illum in Inst. I 2, 3 de pronuntianda duplici i, Servianum de scribenda praecipere, Gellius cum hoc consentit § 12: „Secunda enim littera in his verbis per duo i non per „unum scribenda est.“ Illud rectius contra me dici potest, apud Servium agi de i littera vocalibus utrimque cincta, Gellium praeter exemplum aliquatenus simile proicit (§ 15) aliena afferre, ut obicit rell. Haec sane haud mediocris est discrepantia, nec intercedam, si quis malit Sulpicio Apollinari § 11 laudato plus, quam innuit noster, tribuere.

Perventum est ad ea, quae Gellius per sermonem accepit a Probi familiaribus. Ac primum eorum originem ostendam Suetonii loco c. 24. „Hic (Probus) non tam discipulos quam „sectatores aliquot habuit. Nunquam enim ita docuit, ut ma„gistri personam sustineret. Unum vel alterum, vel quum plu„rimos tres aut quattuor postmeridianis horis admittere sole„bat, cubansque inter longos ac vulgares sermones legere quae„dam idque perraro.“ Ecce apparet, unde subtilia illa iudicia de scriptorum locis, quae ad Probum referuntur, manarint: quae quum Gellius bis ex familiari eius I 15, 18, XIII 21, semel ex discipulis se comperisse dicat, utrum rectius sit, ex

Suetonio cognosci potest. Uno etiam loco Probi familiarem nomine laudavit Annianum poetam VI 7, 1 et 3.[1]) Cave tamen, inde ne Annianum omnibus iis locis latere putes, ubi quis Probi sententiam referat. Certe ei, qui magno opere a Gellio celebratur, imputari nequeunt fraudes illae a Gellio exsecratae III 1, 5 cf. XV 30, 5, quum summa Probi auctoritate nonnulli ad tuenda ipsorum inventa abuterentur. Longe iustius, si quando Annianus sententiam dicat, eam a Probo acceptam esse statuemus. Primum narratur Probus Plauti quendam versum aliter, quam solitum erat, legisse VI 7, 3. Ubi etiam quae Annianus de similibus vocibus, ut affatim, admodum prima acuendis praecepit § 1—4, Probi auctoritate niti videntur. — De Sallustii quodam loco Probi iudicium occurrit I 15, 18, ad depingendum eius ingenium unice aptum. Intentum enim eum, ut saepius, videmus arti criticae; in emendando autem Sallustii loco ita versatur, ut ad consuetudinem scriptoris et ingenium respiciat: non verba sed ut mentem ipsam Sallustii restituere videatur. — Et ipsa ad Sallustium pertinet eius sententia III 15. Ea tamen quum a Favorino spuria habeatur et excogitata ab homine male sedulo, nos nec affirmare nec negare quicquam possumus. — De Vergilii loco Probus existimat IX 9, 12 comparans Vergilii versus cum Homero. Ei ipse Gellius accepta retulit § 12—17. Sed recte de hoc capite iudicari non poterit, nisi sequens IX 10 comparaverimus. Ubi quum similis Vergiliani loci aestimatio occurrat, neque Homeri comparatio desit, censuram autem, ut illic Probus, nunc agat Annianus, quem eundem supra cognovimus Probi sectatorem vidimusque ex illius sententia disputantem, nihil profecto probabilius est, quam coniungenda esse duo haec capita ita quidem, ut et superiori loco suppleatur Annianus, Probi vicarius, et nostro Valerius Probus auctor Anniani. Quo fit, ut in Probi nunc vestigiis enumerem etiam IX 10, ad Annianum relaturus sim IX 9. Sed nondum res acta est de Probo ad Vergilium. II 6, 5 excusat Gellius verbum vexasse a Cornuto reprehensum, ita ut

---

[1]) Fortasse recte Graefenhan IV p. 80 n. 95 Anniano addidit alterum Probi familiarem Favorinum ex Gellio III 1, 6: „Nunquam, inquit Fa„vorinus, quod equidem scio, tam importuna tamque audaci argutia fuit „noster Probus.“

dicat declinatum esse a veho forma frequentativa. Eandem prorsus sententiam edidit Probus ap. Serv. ad Bucol. VI 75: „Quod Probus vult hac ratione defendere dicens, vexasse venire „ab eo, quod est vecto, veho, vexo, ut vexasse sit portasse et „sine dubio pro arbitrio suo evertisse.“ Quae sequuntur verba, pertaesum est adscribere, quum apud Gellium eadem legantur. Exemplis autem Gellii duobus § 7 et 8, a Servio tertium additum est. Recordare, quaeso, quae de hoc loco dixi ad Servium § 8, ubi, quae uterque iisdem verbis disserit, ex Gellio derivabam. Neque tamen eo consilio, ut Valerium Probum Gellio auctorem fuisse negarem, sed quum ea, quae Servius Probo tribuit, quoad genuina Servii habenda sunt, cum nostro re magis quam verbis conveniant, Gellius, sicut ille, Probum secutus esse videtur. Quantum autem illi debeat, eo minus definiri potest, quia ne compertum quidem est, quo ex libro haec sumpta sint. Ac Servium quidem veri simillimum est, in adnotatis Probi ad Vergilium haec invenisse, quorum quum nulla apud Gellium mentio fiat, idem de eo existimare non licet. Facilius credam, quod supra in altero loco Vergilii factum esse vidimus, a familiari eum accepisse. — Ad Vergilium quoddammodo etiam ea pertinent, quae Valerius Probus XIII 21 exponit. Testem certe hunc poetam excitavit, ut demonstraret, in sermone aliquid interdum dandum esse auribus. Eius sententias, si quidem Gellii testimonio fides habenda est, invenies § 1—8. Neque si revera Gellius haec a familiari Valerii Probi accepit, plus memoriae illius tribuere consentaneum est. Alioquin autem locus ita comparatus est, ut si discedere liceret a Gellii testimonio, totus videri posset ex commentationibus Probi sumptus esse. Mira quippe est et similitudo et discrepantia Nonii, c. VIII de indiscretis generibus per litteras:

Gellius		Nonius
finis	§ 12	p. 139 a. divers. exempl.
cupressus	§ 13	p. 132 b. eodem exempl.
aer	§ 14	p. 131 a. divers. ex.
fretus	§ 15	p. 139 b. divers. ex.
tributus	§ 19 sine ex.	p. 156 b. cum ex.
arbitratus	§ 19 sine ex.	p. 129 a. cum ex.
funis	§ 21	p. 139 b. eodem ex.

35. Velius Longus.

Velius Longus grammaticus, cuius hodieque exstat de orthographia liber, occurrit apud Gellium XVIII 9, 4. Ubi licet Gellius eum non ipse citet, sed doctus quidam amicus, tamen non dubitandum est, quin fuerit in Gellii manibus. Titulum libri Gellius nuncupat de usu antiquae lectionis, qui per sese solus mancus quidem ad cognoscendum libri argumentum, diserti testimonii vices explet, si cum fragmento comparatur. Quaeritur enim, inseque apud Ennium, utrum per q an per c litteram rectius scribatur. Unde luce clarius apparet, docuisse Velium hoc libro de eadem disciplina orthographica, cuius nos praecepta in manibus tenemus. Difficilius diiudicatu est, quantam capitis partem ei tribuamus. Ennii quidem versus ab eo allatos fuisse, aperte proditur; qui quum non minus quam Catonis locus praemissi sint, quasi a grammatico, quem disputantem induxit noster, in quaestionem vocati, nescio an Velius etiam Catonem laudaverit. Cui confidentius cedam, quae § 4 exstant, quamquam de grammatico nexu controversia moveri potest. Possunt enim etiam ad eruditum hominem contra grammaticum disserentem enuntiata illa referri: „ideoque a ve„teribus, quas narrationes dicimus . . . .; Varronem quoque“ e. q. s. Sed nihil fere res eo mutatur. Altero modo ista Velii fuisse, certum ésset, altero probabile. De sequentibus iudicare non possumus.

36. Aelius Melissus.

Ad eum illustrandum Gellium laudabo XVIII 6: „Aelius „Melissus in nostra memoria fuit Romae summi quidem loci „inter grammaticos id temporis; sed maiore in libris erat ia„ctantia et σοφιστείᾳ quam opera.“ Ad partes vocatur liber de proprietate loquendi, cuius studium vel ex laudatione conspicuum est. Debet ei Gellius, ni fallor, etiam Pomponii mentionem § 6. Hoc libro Melissum de etymologia egisse Lersch coniecit Phil. ling. vett. III p. 152 not. Cui recte, credo, adversatus est Graefenhan IV p. 217; quod autem ipse opinatus est, de analogia in eo disputatum fuisse, multo minus probo. Reclamant enim et fragmentum et Gellii erba § 3:

„Quis adeo existimet, se recte atque proprie loqui posse, nisi „illas Melissi proprietates perdidicerit?“ Quae cum declinandi analogia male conveniunt [1]), et aptius de significatione verborum rectoque discrimine, quam de etymologia intelligi videntur. Velut fragmentum a Gellio servatum de discrimine matronae et matris familias quaerit, etymologiae nihil habet. Proprietas autem licet saepius a grammaticis pro etymo usurpetur, aliud significat in nostro titulo: alioquin liber inscribendus erat „de „proprietate verborum“ vel similiter. De loquendi proprietate intelligi debet de elegantia, qua quis id vere dicat, quod vult dicere. In quo maxime refert, ut vocabula recte discernas. [2]) Argumentum igitur simile puto fuisse, atque libri Cornelii Frontonis, quem inscripsit de differentiis vocabulorum. Quod confirmatur etiam lemmate [3]) capitis: „quum differre matronam „et matremfamilias existimavit differentia longe vanissima.“

37. Terentius Scaurus.

Hadriani temporibus grammaticus vel nobilissimus, ut ait Gellius XI 15, 3. Laudantur Scauri „illa, quae de Caeselli erroribus composuit.“ Singulari igitur libro quodam videtur Caesellii Vindicis lectionum antiquarum censuram egisse. Ceterum ex Scauro, ut arbitror, noster non ea tantum sumpsit, quae ipse ei dedit § 3, sed etiam sententiae Caesellii, quae offenderat illum, et Laberii notitiam § 1—2. Praeterea Terentius Scaurus non laudatur, nec verbum de eo adderem, nisi dubitationem quandam movisset Mercklinus p. 658 sq. Is enim quum plerumque Caesellium reprehendi animadverteret et, sicut

---

[1]) Sua sponte reliquit coniecturam Graefenhan, quum p. 226 librum recensuerit inter scripta synonymica.

[2]) Ab etymologia prorsus abstinuisse Melissum longe absum, ut negem; saepius proculdubio attigit alteram huius disciplinae partem, quam Varro d. l. l. V § 2 *περὶ σημαινομένων* nuncupat.

[3]) De genuina lemmatum origine dubitatum olim est; hodie satis convenire videtur inter viros doctos, pleraque Gelliana habenda esse. Hoc vero, quo nunc nitor, nemo a Gellio abiudicabit, quia ipsum caput superat notitia quadam, quae non nisi a Gellio proficisci potuit. Narratur enim, Melissum librum suum cornum copiae esse dixisse.

nostro loco Scaurum, II 16, 8 Sulpicium Apollinarem Caesellii obtrectatorem inveniret, ab his Gellio coniecit omnem illius notitiam venisse. Immo vero, quum XI 15 praeter Terentium Scaurum etiam Apollinaris occurrat § 8, huic Scauri quoque mentionem cedi posse cogitavit. Ita superiorem si sequeremur sententiam, Scauri usus incremento augeretur, quod quidem non terminavit nec poterat accuratius terminare Mercklinus, sin alteram, vestigia eius plane evanescerent. Sed iudicari ea de re non poterit nisi soluta de Caesellio ipso quaestione. Cf. quae ad eum dicam.

Incertae aetatis scriptores.

38. Caesellius Vindex.

Eius aetatem Lersch act. diurn. antiq. 1840 p. 109 (cf Graefenh. IV p. 69 not. 59) definire studuit Arnobii loco adv.. gent. I 59: „In similibus vitiis vos quoque versamini, quamvis „Epicados omnes, Caesellios, Verrios, Scauros teneatis et Nisos.“ Hos secundum temporum ordinem enumerari Lerschius autumat, et Caesellium aequalem fere Verrii Flacci fuisse. Atque turbatur ordo ille, Scauro ante Nisum collocato; semel autem si desideratur, omnem apparet obnoxium fieri dubitationi. Ita redit res ad meram coniecturae libidinem: illud tamen ex Gellio II 16 intelligitur, ubi Caesellius de Aeneidis loco disputat, Vergilio eum fuisse aetate inferiorem, et ab altera parte terminus constitui posset, dum constaret, „doctum Vindicem“ a Martiali epigr. IX 44 laudatum nostrum esse Caesellium. Ac Bernhardyo, qui in hist. litt. edit. II not. 227 ei locum assignavit inter scriptores secundi p. Chr. saeculi ita assentior, ut eum non longe remotum fuisse opiner a reprehensoribus suis. Nimirum operam et oleum perdidissent, qui carpebant illum Gellii aetate Terentius Scaurus et Apollinaris, si in eum animadvertissent, cuius iam oblitterata memoria esset. — Quater laudantur Caesellii commentaria lectionum antiquarum II 16, 5, VI 2, XI 15, XX 2; semel lectiones antiquae III 16, 11, bis nude Caesellius IX 14, 6; XVIII 11. De inscriptione libri supra dictum est p. 17: lectiones antiquae titulus confirmatur

praefatione § 6. Deinde ubi Caesellius sine libro laudatur, iure nos easdem lectiones intelligemus. De stromateo enim Caesellii apud Priscianum obvio p. 685 P. 210, 7 H.; p. 696 P. 230, 11 H. si quis cogitet, equidem cum Osanno symb. II 330, Ritschelio Par. I 360, Graefenhanio IV 68, titulum alterum lectionum antiquarum, librum eundem habeo. Iam oportet altius repetam quaestionem, quam supra attigi ad Scaurum, de usu Caesellii apud Gellium. Mercklinum enim vidimus Caeselli mentionem ubivis aliunde derivare vel a Terentio Scauro vel ab Apollinari Sulpicio, duabus illum quidem causis ductum p. 658: tum quia plerumque Caesellium reprehenderet Gellius, cognita autem habuisset scripta illorum, qui Caesellii errores persecuti essent; tum ob librum Vindicis nusquam addito libri numero laudatum. Cui si obloquor, id nolo negare potuisse fieri, ut praeter ea, quae Gellius illis duobus Caesellii adversariis ipse tribuit II 16 et XI 15, alia tacite adoptaret. Sed nunquam eum ad Caesellium ipsum rediisse, quo solo fundamento coniectura niti potest, diffiteor. Argumento enim ducto ex omisso libri numero non tantum tribuo, quantum Mercklinus; velut Nigidii commentariorum Gellius quattuor locis addidit numerum, bis quaternis reticuit, saepe solum Nigidium laudare satis habuit. Consideranti vero accuratius ex. gr. l. VI 2, ubi Gellius Caesellium elusit, aut impudentiae noster accusandus erit, aut proprio Marte videbitur errorem illius indagavisse: tantum mehercule gaudium, tantus est risus, tanta inventi erroris ostentatio. Ac puta Scaurum et Apollinarem Gellii aequales fere esse: quo autem aetate propiores, eo vulgarior librorum usus erat. Quorum si quem isto modo compilavisset, furtum commisisset sub omnium oculis. Nec, credo, alienam sententiam si nihil aliud quam repetivisset, dixisset nostro loco § 10: „Horum versuum sensus atque ordo „sic, opinor, est.“ — Iam de singulis locis pauca addenda sunt; quos plerosque ex Caesellio ipso derivabo, quia de altero fonte cogitari quidem potest, probari nihil. II 16, 5 de Vergilii loco sententia a Sulpicio Apollinari reicitur. Hunc sane locum cum probabilitate ad Apollinarem revocare possumus, qui de eo disputasse perhibetur. III 16, 11 quae Caesellii sint facile discernas, item VI 2, § 4 et 5. Transeo ad IX 14, 6. Arctissime cum hoc capite coniunctum esse IV 16, ubi, ut nostro loco

quintae, ita quartae declinationis insolitae formae tractantur, demonstrabam supra, quum de Caesare disputarem. Praeter reliquam enim similitudinem, quae est maxima, ostendit hoc C. Caesaris mentio similiter in fine utrobique facta IV 16, 9 et IX 14, 25, quem tamen auctorem fuisse ob recentiora exempla ex ipso et Vergilio petita non credibile est. Ita alterutrum caput qui ad auctorem revocaverit, ad eundem retulit alterum. Ab alio autem Gellium haec accepisse IV 16 initio monemur: „M. Varronem et P. Nigidium comperimus non aliter elocutos „esse“ e. q. s. IX 14 additamento quodam: „Ego quoque in „Iugurtha Sallustii ... die casu patrio scriptum inveni.“ Persuadet fortasse etiam Nonius, qui de mutata declinatione agens p. 331 a. s. v. pernicies eadem duo exempla profert, quae Gellius § 12 et 19, p. 333 b s. v. progenies iterum idem, quod noster § 13. Quae si a Gellio traduxisset, reliqua, quae non minus ei arridere oportebat, addidisset; at ex tanta multitudine nullum praeterea affectavit. Illud enim urgere nolo, quod, quum Gellius IV 16 Varronem dicat non aliter elocutum esse quam senatuis, fluctuis, domuis, exempla non attulerit, Nonius p. 329 b s. v. senatuis, p. 334 b s. v. domuis etiam Varronis locos posuit. Nunc autem IX 14, 6 ad unum exemplum genitivi dies auctor laudatur Caesellius, eodem modo, quo VI 9, 11 et 12 ad duo exempla inter multa alia Probus citabatur, cui reliqua omnia vindicare licebat. Quod idem statim nostro loco de Caesellio statuerem, nisi prius dubitatio quaedam removenda esset. Certiores enim facti sumus Charisii opera, Caesellium in disponenda farragine litterarum ordinem secutum esse, citatur apud eum p. 93 P. 117, 13 K. litterae A liber primus, p. 213 P. 239, 21 K. litterae B, p. 176 P. 195, 26 K. litterae L liber. Quum igitur ad vocem dies Caesellius auctor laudetur, reliqua quidem tria exempla § 5, 7, 8 formarum dies et die unus quisque ei facile concedet, haerebit fortasse in reliquis vocibus, quia ab aliis litteris incipiant. At mihi quidem eas videtur de voce dies disputans in comparationem adhibuisse. Veluti Verrius Flaccus et ipse secundum litterarum ordinem scripsit; ut saepius autem, ita p. 286 b. s. v. recto fronte ad frontem masculine dictum comparavit septem alias voces, quae etiam nunc apud Festum reliquae sunt, quattuor exemplis probatae. Ipse

Caesellius apud Gellium XVIII 11 Furium Antiatem ob insolitas verborum fictiones reprehendens ab uno utique loco eius profectus quattuor alios admovit. Sic nostro loco, ut arbitror, de qua potissimum disputaret, vocis dies quattuor exempla congessit, cetera adnexuit simili transitu, atque Gellius usus est § 9: „Sic autem dies dii a veteribus declinatum est, ut fa„mes, fami“ rell. (sequuntur exempla § 10). Satis amplos denique singularum litterarum fines fuisse, A litterae liber primus ap. Charis. l. l. testatur. — XI 15, ubi a Terentio Scauro vituperatur Caesellius, ex hoc transsumi potuit eius locus. XVIII 11 Caesellius quia de Furio poeta iniuste existimaverat, Gellii ipse expertus est reprehensionem; quae ille impugnaverat Furiana invenies § 3, Furii versus, quos proculdubio Caesellius adhibuerat, § 4. XX 2 notat Gellius eius confessionem ignorationis; siticines enim in Catonis oratione quadam interpretari nequiverat. — Coniectura addo sequens caput XX 3. Superiore loco qui essent siticines, extricare studet, nostro de sicinnistis agitur: ecce habes in utroque vocabulo duas primas litteras easdem. Nec vero deest locus, qui Caesellio facultatem fecit de sicinnistis disputandi, L. Accii versus ex pragmaticis § 3.

39. Cloatius Verus.

Eum Lerschius Phil. ling. vett. III 168 inter Plinium fere et Gellium collocavit, Graefenhanius autem IV 224, Cloatium ap. Fest. s. v. Molucrum p. 141 a. eundem iudicans, Augusti aetate vixisse censet. Laudantur XVI 12 Cloatii libri, quos inscripsit verborum a Graecis tractorum, et quia adeo diserte de inscriptione noster testatur, inde controversiae illius inter Lerschium l. l. et Baehrium hist. litt. II p. 574 not. 17 agitatae discrimen proficisci potest. Lerschius Cloatii libros „ordinatorum Graecorum“ a Macrobio Sat. III 6, 2 et III 18, 8; 19, 2 laudatos, et hos „verborum a Graecis tractorum“ praeter Gellium apud eundem Macrobium Sat. III 18, 4 obvios eosdem, Baehrius diversos habuit. Cui equidem ideo assentior, quia, quod Macrobius tribus locis constanter servavit „ordinatorum“, Gellius in exhibenda inscriptione non agnovit. — Cloatii alias sententias probavit Gellius § 2—4, faeneratoris autem veriloquium § 5, quamvis ille ab Hypsicrate accepisset, merito respuit.

40. Gavius Bassus.

Lersch l. l. III p. 159 sqq. hunc satis audacter cum Caesio Basso poeta ac grammatico, Neronis contemparaneo confudit, Baehr Pauly. encyclop. I p. 1071 ad Traiani aetatem promovit. Quippe utrumque fugit, quod recte animadvertit Mercklinus p. 650, aetatis indicium ex Gellio colligi posse, ab illis coniecturis discrepans. Equum enim Seianum Gavius Bassus apud Gell. III 9, 8 testatur se Argis vidisse, abduxit autem eum Argis P. Cornelius Dolabella, qui cos. a. 44 a. Chr. a. 43 pro consule in Syriam provinciam proficiscens ab itinere Argos devertit. Unde Baehrii opinio statim corruit, infringitur autem etiam Lerschii coniectura, vel aliis de causis suspecta; aetas denique Gavii Bassi, quamquam, quum equum videbat, aut adolescens admodum poterat esse aut aetate provectior, quadamtenus tamen definitur. Librum Gavii Bassi Gellius ad partes vocavit, cuius titulum semel exhibuit integrum III 19: „Legebatur Gavii Bassi, eruditi viri, liber de origine verborum „et vocabulorum"; II 4, 3, V 7, XI 17, 4 restrictius laudavit librum de origine vocabulorum; remissius etiam III 9 et III 18, 3 tantum commentaria, quae cum Lerschio Philol. I 617 et Mercklino p. 665 non diversa ab illis arbitror, quia commentarii nomen cuivis libro imponebat Gellius, et locis continuis III 18 et III 19, illo commentarius, hoc liber de origine verborum et vocabulorum laudatur. Hunc autem ut plenum habeam, alterum de origine vocabulorum decurtatum, ea causa adducor, quia tali additamenti in Gellio nullum vestigium apparet aliud, compendiosa autem longioris tituli laudatio eo minus offendere debet, quoniam trium locorum duobus verbum „composuit" additum est, cf. d. citandi ratione p. 18. — II 4, 3 citatur tertius liber et origo transscripta est voc. divinatio. Alteram interpretationem § 6 non puto a Basso allatam fuisse, quia Gellius interposuit haec verba: „Haec Bassus. Sed alii quidam." Septimus liber usui fuit XI 17, 4. Nolo umbrae illi amici docti et nomine et sanguine carenti vim inferre. Attamen Gavio tribuo, quae § 4 de retis leguntur, omnia; ac dubito annon ex eodem sumpta sint verba edicti § 2, ut illius sententiae dicendae occasio. III 18, 3 enar-

ratur Gavii Bassi opinio de pedariis senatoribus; quos dictos esse putat, quia pedibus in curiam proficiscantur. III 19, 2 Locus integer transscriptus est de veriloquio voc. parcus. Hic, ut plerisque locis, quae ille statuit, improbantur. Laudibus autem eum extulit Gellius de v. persona disputantem V 7.

41. Largius Licinus. [1])

Si vere disputavi ad Asinium Gallum, hunc a Largio Licino auctorem laudatum fuisse, aliqua certe aetatis definitio inde redundaret: angustioribus terminis includi omnino nequit. Laudatur XVII 1 liber eius inscriptus Ciceromastix, cuius consilium ut impium ac nefastum Gellius exsecravit acerrime. Ex eo, ni fallor, sumpta est verbi paenitere reprehensio § 4—8. Nisi forte mavis, neque hunc neque Asinium Gallum a Gellio lectum esse, sed utriusque sententiam a tertio quodam nostro traditam.

42. P. Lavinius.

Nec de Lavinio aliunde quidquam compertum est, siquidem Meursii coniectura, quam ex indice ad Macrob. Ludov. Iani didici, qua is Laevinum quendam apud Macrobium III 8, 3 laudatum cum nostro coniungebat, valde anceps est. [2]) Neque ut esset certior, inde nostra multum augeretur notitia. Scripsit P. Lavinius librum de verbis sordidis, quo Gellius usus est in ultimo totius operis capite; sordida autem illa verba malo cum Lerschio III p. 156 obsoleta intelligere quam cum Graefenhanio II 330 et obsoleta et obscoena. Ceterum sine temeritate ei totum locum XX 11 assignare possumus; possemus nescio an plura, nisi caput fine decurtatum esset.

---

[1]) Libri mss ut supra adnotatum est Licinius.

[2]) Ne grammaticum quidem satis prodit fragmentum a Macrobio l. l. servatum „Laevinus etiam sic ait: Venerem igitur almum adorans, sive „femina sive mas est, ita uti alma Noctiluca est.“

Auctores A. Gellii aequales.

Iam ad eos transgredior, qui aequales Gellii ei vel sermonibus vel per severiorem disciplinam nonnulla suppeditaverunt. Quos quia fieri non poterit, ut omnes secundum aetatis intervalla minuta et parum nota disponam, rursus litterarum ordine prodire iubebo. Neque eos ab hac lege excipiam, quorum quum viva voce saepius frueretur Gellius, interdum etiam libros in usum convertit, ut Sulpicii Apollinaris et fortasse Antonii Iuliani. De scriptorum locis, qui nonnunquam mire multi disputationibus inserti sunt, praeiudicatum supra est de sermonibus § 7. Neque igitur suspiciones opus erit iterem, nisi ubi certius quiddam affirmari potuerit.

43. Annianus.

Quem non licet accuratius designare quam Gellius fecit VI 7: „Annianus poeta praeter ingenii amoenitates litterarum „quoque veterum et rationum in litteris oppido quam peritus „fuit et sermocinabatur mira quadam et scita suavitate.“ Erat igitur poeta, deditus etiam grammaticis studiis et familiaris, ut supra dictum est, Valerii Probi. Itaque quae VI 7 § 1—5 disputat de affatim, admodum recte pronuntiandis, auctoritate nituntur Probi, quem de affatim testem laudat § 3. Neque alia, opinor, condicio est eorum, quae IX 10 de Vergilii loco existimavit. Ubi Probus auctor princeps supra latere mihi visus est de Probo dicenti. Num vero Annianus atque etiam Probus respexerint ad Cornutum c. 10 § 5—6, in dubio relinquendum est. — XX 8 ubi rursus occurrit Annianus, non ad nostram causam pertinet.

44. Antonius Iulianus.

De eo audi Gellium I 4: „Antonius Iulianus rhetor per„quam fuit honesti atque amoeni ingenii“ e. q. s. Ex Hispania ortum eum dicit XIX 9, 7, magistrum Gellii fuisse apparet ex I 4, 8. Praemittam locum, qui libri eius usum ostendit, quamquam ambigi posse Mercklini exemplum docet. XVIII 5 An-

tonius Iulianus cum compluribus adolescentulis ἀναγνώστην quendam Ennii audivit, de versu perperam recitato disputat, eques pro equus scriptum ab Ennio esse contendit, quod in libro reverendae vetustatis legerit. Quibus § 12 Gellius haec adiecit: „Hoc tum nobis Iulianus et multa alia lucide simul et adfabi„liter dixit. Sed eadem ipsa post etiam in pervulgatis com„mentariis scripta offendimus.“ Pervulgati illi commentarii et „editi“ esse possunt factique iuris publici, et accipi pro tritis et vulgaribus. Si editos intelligimus, ad Antonium Iulianum referre nos oportet; sin vulgares et communes ad alium quendam auctorem non laudatum. Atque in hanc sententiam abiit Mercklinus, praeteritosque eos a Hertzio questus est p. 676 not., quum in indice monumentorum desideraret. Verum ille quidem haud scio an temere; ut qui non credam, eadem ipsa, quae Antonius disseruerat, Gellium in alienis commentariis invenisse. Equidem commentarios cum Baehrio Pauly. encyclop. IV p. 418 et Hertzio (cf. indic. auct. s. h. v.) Iuliani fuisse puto, in vulgus editos post hanc disputationem. De argumento autem commentariorum nihil inde conicias, quia ad Ennii locum haec particula pertinebat: nimis enim varia est apud Gellium eius tituli significatio. Ex iis vero noster si non totam memoriam repetiit, at certe auxit recordationem minus fortasse explicatam. Neque igitur dubito, singula quoque § 5—11 Antonio Iuliano tribuere. Hic locus Iulianum ostendit ne a critica quidem arte alienum; magis tamen domesticae ei quaestiones fuisse videntur, qualis occurrit I 4. Subtiliter enim de loco Ciceronis disputat, et Gellius addidit: „Ad hunc modum „Iulianus enodabat diiudicabatque veterum scriptorum sententias.“ IX 1, 3—6 Claudii Quadrigarii locum Gellio interpretatus est, quaestione quidem potius physica quam grammatica. Ceterum conferendus est cum hoc alter locus XV 1, totus is quidem ad philosophiam pertinens, sed cum mentione Quadrigarii. XIX 9 reperimus eum contra Graecos quosdam, suorum poetarum venustatem et dulcedinem venditantes, acerrimum Romani nominis patronum et antiquiora carmina memoriter canentem. XX 9 denique admiratur Cn. Mattii versus, loco mutilo. Cf. etiam IX 15.

45. T. Castricius.

„Rhetoricae disciplinae doctor“, ut est apud Gellium XIII 22, „gravi atque firmo iudicio vir“ XI 13, fortasse idem, cuius Fronto epp. ad amic. II 2 Nieb. p. 210 meminit: „Castri-„cius noster“. Ac vestigia eius apud Gellium omnia sunt rhetoris, sed docti atque intelligentis. I 6, 4—6 Metellum Numidicum defendit ab imprudentium reprehensionibus. Quibus quum ille in oratione de ducendis uxoribus nimium videretur veritati dedisse, parum causae suae, Castricius aliud censorem, aliud patronum decere contendit, illius interesse debere, ut reum sublevaret, quocunque modo liceret, huius, ut verae civium saluti consuleret. II 27, 3—5 comparavit Demosthenis et Sallustii locos, quorum illi sobrio iudicio palmam dedit. Iniustius fortasse fecit, quod Sallustium omnino aemulaturum fuisse Demosthenem censuit. Similitudinis enim inter utrumque intercedit tantum, ut de imitatione consulto facta dubitari possit. Cf. Kritzium Sall. fgm. p. 88. XI 13 de Gracchi loco quodam existimat, eiusque admonet exemplo, ne quis in summis quibusque scriptoribus suavitate orationis numerose cadentis se decipi patiatur, ita ut sententiam ineptam sed apte conclusam admiretur.

46. M. Cornelius Fronto.

Non tam magister fuit Gellii quam amicus honoratissimus, cuius sermonibus non sine magna utilitate adfuisse se fateatur XIX 8, 1. — Scripti libri Frontonis Gellius nullius meminit, neque ego vestigium ullum satis certum deprehendi. Velut uterque descripsit Arionis fidicinis historiam, Gellius XVI 19, Fronto p. 210 Nieb., et in quibusdam sane concinunt: Fronto § 1 „Socios navalis Corinthios delegit, Gell. § 8 navem igitur „et navitas Corinthios delegit. Front. ibid. eorum navem re „bona maxime onerat, Gell. § 7 grandi pecunia et re bona multa „copiosus. Front. § 2 Navi in altum provecta, Gell. § 9 na-„vique in altum provecta. Front. § 7 numquid super Arione „Lesbio comperissent, Gell. § 19 ecquid audissent . . . . super „Arione.“ Quae non omnia ex Herodoto I 23, quem Gellius auctorem laudavit, Fronto secutus esse videtur, tanquam ad verbum conversa explicantur. Atqui Gellius historiam multo

diligentius, quam Fronto, expressit. Si autem ad Herodotum etiam Gellius rediit, a casu potius quam a necessitudine quadam consensus exiguus repeti debet. Ita dubito an Frontoniani libri vestigium habendum sit XVI 14, 5: „Commodius autem „propiusque visum est, festinare esse quasi fessum esse. Nam „qui multis simul rebus properandis defessus est, is iam non „properat, sed festinat.“ Haec origo sane singularis valde sapit Frontonem d. diff. vocab. p. 281 N. „Qui properat apparet „non esse fessum, qui festinat videtur esse defatigatus.“ At nunquam hunc librum de differentiis vocabulorum Gellius memoravit. Quare si Frontonis hoc loco auctoritas agnoscenda est, Gellius non ex libro eius sed ab ipso praesente accepisse videtur. — II 26 Fronto et Favorinus de colorum vocabulis disputant, ita quidem, ut Favorinus graecae linguae ubertatis laudator latinae inopiam increpet, Fronto huius suscepto patrocinio varias rufi coloris species § 7—19 suo quamque vocabulo demonstret. XIII 29 Quadrigarii locum subtili sensu interpretatur, eleganter illum multos mortales pro multis hominibus posuisse contendit, demonstraturum scilicet fusam multitudinem sine sexus aetatisque discrimine. XIX 8 familiarem quendam, qui harenas dixerat πληθυντικῶς, verbo prémit, auctoritate nisus C. Caesaris § 3—4. Deinde § 9—12 singularium tantum et pluralium nominum rationem reddere studet, § 13 desperat de analogia in his omnibus demonstranda. XIX 10 de voce praeterpropter quaerit magis quam docet, sed vindicat eam ab immerito cuiusdam grammatici contemptu. Minus etiam magistri personam induit XIX 13, ubi ex Sulpicio quaerit, pumiliones rectius an nani exilis staturae homines dicantur.

47. Favorinus.

Eius lateri Gellius maxime haerebat, quum et ab ingenio et a disciplina studiisque valde ei probatus esset; nam licet ille profiteretur unice philosophiam, non abhorrebat a quaestionibus grammaticis. Ac librorum quidem eius plus unum adhibuit in philosophia, grammatica quae ei debet, e sermonibus videtur percepisse omnia. Quae ad certam quandam grammatices partem revocari nequeunt, sed varium et multiplex viri ingenium ostendunt. I 15, 17 Gellio interpretatur Euripidi ver-

sus, itaque auxit numerum illum locorum, quos Gellius proposuit, quibus scriptores garrulitatem notavissent. Ac tribuit Favorino unam tantum paragraphum; non mirarer autem si plura deberet. Tales certe dissertationes illi familiares fuerunt. I 21, 4 confirmat Hygini iudicium in Vergilio factum, ita ut hunc imitatum esse Lucretium ostendat. II 5 lepide Platonis orationem et Lysiae comparat. II 26 § 3—6 colorum vocabula graeca et latina comparat, cum admiratione graecae copiae, latinae tenuitatis despectu. At postquam multa ei vocabula latina demonstravit et interpretatus est Fronto, deprecatur § 20 illius indignationem, et de significatione flavi dedoctus, Enniani versus sensum ostendit § 21—23. III 1 studet Sallustii locum, in quo offenderat, intelligere, inquirendi magis quam explicandi auctor. Sed reicit tamen § 6 opinionem cuiusdam, qui auctorem ementitus Valerium Probum locum perperam accipere videbatur. III 3, 6 Plauti Nervolariam quae in incertis fabulis habebatur, quum unum eius audisset versum, Plauto reddit. IV 1 penoris definitionem, postquam frustra ex grammatico quodam quaesivit, auxilio Scaevolae ICti proponit. V 11, 13 refert Gellius, Favorinum mulieres modesta forma et bene mediocri uxorias appellasse. VIII 2 e lemmate novimus, Favorinum Gellio decem verba enumeravisse, quibus Graeci ut suis uterentur, quum barbara essent. VIII 14 rursus eorum, quae disputavit, soli lemmati notitiam debemus, quod exhibebo: „Lepidissima altercatio Favorini philosophi adversus quendam „intempestivum de ambiguitate verborum disserentem; atque „inibi verba quaedam ex Naevio poeta et Cn. Gellio non usitate „collocata; atque ibidem a P. Nigidio origines vocabulorum ex„ploratae.“ Ac salium quidem, quibus homines ἀχαίρους perfricare solitus sit, vestigia relicta alibi sunt ex. gr. IV 1. Sed ambigua verba non quaero, quaenam fuerint, sed utrum ambigua fuerint significatu an propter dubiam in sententia quadam collocationem. Illud enim si commendat, quod eodem in capite origines vocabulorum secundum Nigidium enarratae fuerunt, hoc fulciri eodem modo potest verbis ex Naevio poeta et Cn. Gellio inusitate collocatis.[1]) Nec lemma persimile l. XVIII 7: „Quem

[1]) Quamquam „collocata“ accipere possis „adhibita“. Cf. VII 16 lemm.: „Verbum deprecor a Catullo inusitate quidem sed apte positum „et proprie.“

„in modum Favorinus tractaverit intempestivum quendam de „verborum ambiguitatibus quaerentem“ ad dirimendam hanc quaestionem quicquam valet: adeo enim ad hunc locum ineptum est, ut uncis includi posse iure videatur. XIII 25 copiosa et prolixa disputatione Favorinus, digressus a voc. manubiae et loco Ciceronis § 6, ubi id vocabulum cum v. praeda coniunctum est, de cumulandis synonymis exponit. Quo autem ille doctius disseruit, eo minus sua tuitus est; augetur enim crescente locorum allatorum multitudine suspicio, haec maximam partem a Gellio ex libro aliquo sumta esse. Uberius de hoc loco dictum est p. 24. XVII 10 denique comparatur a Favorino Pindari locus, quo Aetnam descripsit, cum Vergilio, simili modo, atque Valerius Probus Homerum et Vergilium contendit IX 9, 12. Quodsi quis Favorinum ex familiaribus illius fuisse arbitretur, quia eum appellavit III 1, 6 „Probus noster“ (cf. p. 91), hanc quoque comparationem Probi auctoritate niti putet. Sed res admodum incerta est, eoque incertior, quo iustius ille, inconsiderderatius autem Favorinus alienam imitationem statuit. Vd. Pontani et Turnebi sententias in Gronov. editione h. l. comparatas.

48. Fidius Optatus.[1])

Eius memoria, ut multorum aliorum, nisi a Gellio propagata esset, prorsus deperisset. Appellatur II 3, 5 „multi nominis Romae grammaticus“, fuitque, si quid ex uno loco consequitur, criticae arti deditus. Ostendit enim Gellio in libro Aeneidis, qui ipsius Vergilii fuisse credebatur, ahena pro aena scriptum.

49. Sulpicius Apollinaris.

Apollinarem Gellius, multo cum honore laudatum IV 17, 11 XIII 18, 2 XVI 5, 5, adulescens inprimis sectatus est magistrum (VII 6, 12 XIII 18, 3 XX 6), et multa praesens ab eo accepit. Atque vero etiam scripta eius adhibuit. XV 5, 3 epistula quaedam laudatur. Gellius de pravo usu verbi profligare agens Sulpicii verbis narrat commodum praetoris cuius-

---

[1]) Fidus libri mss.

dam responsum, quo abutentem quendam eo verbo irriserit. Quod quia Sulpicius proferre non poterat nisi de corruptione illa disputans, et ea, quae hoc capite leguntur, omnia et III 16 § 18—19, ubi eadem res tangitur, a Sulpicio repeto. Hanc epistulam post mortem auctoris Gellius legisse videtur, quum dicat: „in quadam epistula scriptum reliquit", insertam fortasse libro cuidam quaestionum epistulicarum. Aliter statuendum est de altera Sulpicii epistula XIII 18. Aderat enim Gellius, quum ille Erucio Claro rescriberet, quid significaret in oratione quadam Catonis „inter os et offam". Quod interpretatur more suo graeco sermone comparato. Scripti libri vestigium etiam alio loco haberi puto II 16, 8, consentiente Mercklino p. 678. Ubi haec: „Idcirco Apollinaris Sulpicius inter cetera, in quibus „Caesellium reprehendit, hoc quoque eius quasi erratum „animadvertit." Prorsus enim simili modo Terentii Scauri liber designatur XI 15, 3: „Terentius autem Scaurus .... inter illa, „quae de Caesellii erroribus composuit, in hoc quoque verbo „errasse eum scripsit", et verba Sulpicii nostro loco exhibita, si tardam impeditamque commemorationem consideras, ex libro potius, quam ex ore disputantis profecta sint. Utrum vero singulari aliquo libro an in epistula quadam Caesellium insectatus sit, diiudicari nequit: inscriptionem enim libri non edidit Gellius. Ceterum caput totum cum Caesellii loco a Sulpicio sumtum esse puto.

Transeo ad ea, quae a Sulpicio coram accepit. IV 17, 11—12 narratur, quomodo obicibus in Vergilii versu pronuntiarit. VII 6, 12 de iure augurio quaerens (non ad Vergilii locum) praepetes cum Homeri *τανυπτερύγεσσι* comparat. Mercklinus p. 659 de Sulpicio ut totius capitis auctore cogitavit. XI 15, 8 sententia eius de adiectivis in bundus exeuntibus refertur. Cui quia ansam dedisse opinio Caesellii (§ 2) videri potest, Mercklinus l. l. locum vindicare studuit in illo libro, quem de Caesellii erroribus scripsit, unde Gellius etiam Terentii Scauri mentionem § 3 repetisset. Atqui eius rei Gellius nullum indicium praebet, immo se haec ex Apollinaris colloquio percepisse innuit. XII 13 § 6—16, 19—20 de variis praepositionis intra significationibus disputat. XVI 5, 5 de particula ve et de origine voc. vestibulum. Quae supra ad Verrium

Flaccum coniungebam cum iis, quae in similem modum disputata sunt V 12, 9—10, et Sulpicio omnia tribuebam praeter exempla fortasse Lucretii et Lucilii, quae ex Verrio sumta esse possunt. XVIII 4 de Sallustii loco cum grammatico contendit, vocum stolidus et vanus proprietates aperit, ad origines autem cognoscendas Gellium ablegat ad Nigidium Figulum. Quas quum Gellius se iam alio loco exposuisse meminerit, si superstes is locus esset, melius nostro, quae Nigidii sint, quae Sulpicii, discerneremus. Graeca utique illa comparatio § 10 Sulpicium redolet. XIX 13 Frontoni respondet interroganti, rectene usus sit vocabulo nanus: id quod auctoritate sua comprobat. Denique XX 6 genitivorum nostri et vestri rationem exploraturus, multis comparatis scriptorum locis nihil aliud statuit quam consuetudini id dedisse antiquos, quum ratione uterentur solae formae nostrum et vestrum. —

Hunc finem impono quaestionibus; in quibus quum fuerim magno cum fructu meo, num idem cum emolumento litterarum aliquo versatus sim, benigna exspecto aliorum iudicia.

VITA.

Andreas Carolus Henricus Iulius Kretzschmer natus sum a. d. VI. cal. Sept. MDCCCXXXVII Tanglimi, Pomeraniae oppido ad Panum fluvium sito, patre Mauritio superstite et — Deo gratias — vigente, matre Augusta e gente Scherenberg, quae mihi etiamtunc puero fato lugubri erepta est. Fidei evangelicae addictus sum. Duodecim annos natus, quum pater in propinquum rus concessisset, in gymnasium itabam Tanglimense per sex annos et dimidium. Unde quem cepi antiquarum litterarum amorem, vel si quos fructus humanitatis, eorum maximam partem referri volo ad Sommerbrodtium, qui tunc illi scholae praeerat, nunc praeest Posnaniensi; ad Wagnerum, directorem nunc Ratiburiensem, ad Schuetzium denique. Cum maturitatis testimonio dimissus, verno tempore a. h. s. LVI Gryphiswaldiam me contuli, et in civium academicorum numerum receptus a v. ill. Vogtio t. t. rectore, studiis philologicis me dedidi. Scholis interfui per septem semestria vv. ill. Schoemanni, beat. Kosegartenii, Vogtii, beat. Bartholdii, v. magnif. Hoeferi, Hertzii, Baieri, Schaeferi, Georgii, Hasertii, Susemihlii, Schildeneri. Quorum multa in me merita pio fidelique animo agnosco. Singularem vero gratiam habebo viris summis Schoe-

manno et Hertzio, qui me seminarii philologici sodalem et auctoritate et doctrina et benevolentia multis nominibus devinxerunt, Schaefero et Hoefero, quorum alterius historicae, alterius germanicae societati plurima debeo, Susemihlio, qui studia mea privatim ingenti comitate fovit.

Auctumno a. LIX Posnaniam profectus sum obiturus munus quoddam gymnasii Fridericii Guilelmii.

Sententiae controversae.

I.

Infeliciter cessisse rem Ahrensio, Theocr. Idyll. XV 28: *πάλιν αἱ γαλέαι μαλακῶς χρῄζοντι καθεύδειν* tanquam proverbium accipienti.

II.

Gell. V 12, 1 pro corrupto „spectationibus“ scribendum „comprecationibus“ (c̄precationibus), compar. Gell. XIII 23 (vg. 22) 1.

III.

Richerum chronographum in enarratione concilii Angleheimensis (II c. 69—81) omni fide carere.

IV.

Gell. I 6, 6: „civitatem autem salvam esse“ delendum puto „autem.“

V.

Falli Guil. Grimmium, carmen inscriptum: Vridankes Bescheidenheit referentem ad Waltherum von der Vogelweide.

VI.

Lemmatis Gellii plerisque fides habenda est.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 094 835 A

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 094 835 A